



A.XXXVII
17/2

STC 20691

(Tho. Randolph)

5332/A

1265

and, on the whole, his merits equalled … He was a very

Very fine copy of this Latin play, which has never been reprinted. While it has not been complete lost sight of, it has certainly suffered great neglect, attributable, no doubt, to its subject matter, but hardly warranted by its manner of treating that subject.

The sweating-tub—also called Cornelius's tub and, allusively, the powdering tub—was formerly used in the treatment of venereal disease; and allusions to it are to be found in Shakespeare, Nashe, and many other writers of the 16th and 17th centuries: and it is around the treatment in such a tub of the central character that the plot of this play is woven. The author has happily avoided mere ribaldry on the one hand, and pompous moral stricture on the other hand: he maintains an attitude which, though primarily satirical, is at the same time tolerant and human.

A correspondent, signing himself "W.B.," wrote in the European Magazine for June, 1800: "Cornelianum Dolium is a most witty and learned performance; replete with rich and slily-droll allusions to some of the best classic authors; and written, I cannot but feel confident, to answer a public or private purpose, by the efficacious means of elegant ridicule and refined satire . . . If a jocose and playful display of humour and delicate raillery be acceptable; if to ridicule folly or vice in general terms, without invidious personalities, be praiseworthy; if it be true that 'those who shun not guilt oft shrink from shame'; and if the well-known observation that



LONDINI
Apud Tho: Harperum. & væneunt per Tho: Slaterum, et
Laurentium Chapman. 1638. W.M. ſculpsit.

64842

CORNELIANVM DOLIUM.

Comœdia lepidiſsima, *optimorum judiciis approbata,* & Theatrali coryphœo, nec immeritò, donata, palma chorali apprimè digna.

Auctore,
T. R.
ingenioſiſſimo hujus ævi
HELICONIO.

Ludunt dum juvenes, laſciviunt Senes,
Seneſcunt juvenes, juveneſcunt Senes.

U-I
5.70

LONDINI,
Apud *Tho. Harperum.* Et væneunt per *Tho. Slaterum,* & *Laurentium Chapman.* 1638.

Spectatiſsimo Viro,
ALEXANDRO RADCLIFFE,
Baienſi Militi;
Muſis grato,
Suis charo,
Alienis benigno,
Omnibus benevolo;
POSTHUMUS VATES
Hanc opellam
in extremam obſervantiæ
ſuæ memoriam,
Candidè, conditè, cordatè;
intimè, integrè, intemeratè; dedit, dicavit, dedicavit.

OMNIBVS ET *SINGVLIS.*

NOverint univerſi per præſentes; me *Cornelium* Sũmœnianis fuiſſe natum & egregiè notum. Vbi diutiùs vanâ ſpe lactatus, genio liberè indulgens, meretriciis artibus

acquieſcens, per totum Lupanar cujuſque lecti, tecti, & triclinii annuos redditus, horales quæſtus ad unguem retinui. Tartareæ illius portæ per tres integros annos Ianitor fui: me omnes fecerũt tranſennam, per quam facilior aditus pateat ad Pellicem.

Ab eo verò ad altiorem evectus fui gradũ: ad recordanda (ſcilicet) Chyrurgorum nomina,

&

& iis ſolvēda ſtipendia.
—hinc illæ lachrymæ!
Qui me norunt laſciviētē in *Proſtibulo*, nunc me videant dolentem in *Dolio*. Verè doleo; & benè eſt quod doleo: periiſſem enim niſi periiſſem. Vt ſenſi, ſapui. Errando didici, diſcendo docui. *Cornelius* ducitur in *Scænam*, corpus in *Dolium*.

Nunc quod ad vos attinet, ne *Scæna* lateat, ar-

arrigite aures; ne *Cornelius* langueat, præbete manus. Valete, videte, ridete, vivite.

Dra-

Dramatis *perſonæ* } *Scæna*, Genua.

Cornelius.

Grinchamus, Cornelii *Servus*.

Opilio, *Paſtor gregis*.

Prunella, *Marita ejus*.

Simplicius & Balbutius, *Parochiani* Opilionis.

Syringius, *Chyrurgus*.

Peregrinus Neapolitanus, *Medicus*.

Pocadilla & Tubercula, Cornelii *meretriculæ*.

Ciatica, Cornelii *Ancillâ*.

Lurcanio & Latrunculus, *Meretricii Conſortes*.

Veſpilo, *ſepulchralem curam agens*; *cum aliis Miniſtris* Dramati *propriis*.

Argumentum.

C Ornelius ex *nimiâ licentiâ ſuâ ægrè ſe habens, & jam morti (nec minus quàm omnes expectant) appropinquans, è grabato ſe paululum ſublevans, omnes dehortatur ab iis lenociniis, quibus ipſe in adul-*

adultâ ætate indulſerat: Meretricias artes & earum aſtutias apertè narrat. Cornelius *in extremis poſitus*, *à* Peregrino Neapolitano, *præter omnem ſpem, priſtinæ incolumitati reſtituitur. Suadet interim* Neapolitanum, *ut eum pro mortuo daret; quò fama ipſius mortis per totum oppidum increbeſceret: & eò hoc facit, quò emeritam ultionem caperet de iis Pellicibus*

&

& Latrunculis, qui tantam ſibi injuriam intuliſſent : Quod quidem (nec ſine magno periculo) præſtat: Sepeliri enim ſe mandat, uno cum ingenti theſauri mole: Quem eadem nocte quâ ipſe ſepultus eſt, Lurcanio *&* Latrunculus, *duo egregii latrones, unò cum conſilio & conſenſu Meretricum, effractis Sacrarii portis, eruere & eripere quærunt. Removentur Saxa, reſeratur*

Ciſta,

ſta in quâ poſitus eſt Cornelius: *quâ recluſâ, & ſe ſuper pedes erigente* Cornelio, *tanto metu perculſi ſunt, ut ſacris ædibus relictis, dementes excurrunt; eâque dementiâ correpti, inſolentiùs ſe gerunt, donec communi voto & voce, ne eorum rabies aliis etiam vim inferret,* Fatuano, *vulgò* Bedlam, *ſunt traditi; & Pellices, quæ conſciæ conſules erant facti,* Plagiario,

rio, *vulgò* Bridewell, *ſunt mandatæ*.

Reſiduum temporis fructuosè expendit Cornelius, ***multum diſtribuens æris, publicis Gymnaſiis.***

Prologus.

SAlvete vos omnes! ridere liberè
Suaſit Cornelius. *Nec in iſtis Scenis*
Ineptas ſales rivulis depromptas
Elicient turbidis prurientis aures.
Egredimur Silvis, altiora Muſis
Sectando Latiis. Invideant Vates
Priſci noſtratûm lepidos conatus.
Ingenio, genio candido, faceto
Pollet Cornelius, *licet ſubægrotans.*
Sin tales proferat æger hîc Lepores,
Quos finget Cornelius *corpore ſanus?*
Quot verſus, voces, habet tot cachinnos;
En talis afflavit Zephyrus camœnis!
Spectate cādidi, *&* inter Actus *frangite*
Nuces, & Indicum *propinate fumum,*
Si placet, Amicas deprimite baſiolis;
Præ fluxu vix detur oculis libertas
Viſo Cornelio, *ſpatiari nugis.*

CORNELIANVM DOLIUM.

Actus primus. Scæna prima.

POCADILLA & GRINCHAMUS.

Poc.

EHeu! *Grinchame, Grinchame.*

Grin. Quid novi?

Poc. Hei mihi! Herus noſter *Cornelius*——

Grin. Quid de eo? Vivit ſanè.

Poc. Vix ſanè. Languet ægrè; jam ad ex-

extremas properas horas. Appropinquantem mortem, æquè ut omnes, valdè timeo.

Grin. Et in tuo nomine, mi *Pocadilla*, morbum ſuboleo.

Poc. Suboleas verè; nemo enim apertis naribus portam cubiculi intrare audet.

Grin. Nullane ſpes ſibi relicta eſt, recuperandi ſalutem?

Poc. Nulla, planè nulla. Medici, accepto ære, eum deſerunt; deſerere tamen nollent, quamdiu aliquid inexhauſtum reliquerant: unà cum ſanguine fortunas elicierunt.

Grin. Rectiſſimè; Patientis crumena fit ſuprema medicantis vena.

Poc. Alia etiam ſunt Symptomata imminentis mortis hoc ipſo tempore eum comitantia. Linteola enim manu contrahit; diſtorto ore & diſtenſo labia diſpandit; anhelis pulmonibus difficilè ſpirat; longum vale mundo dixit: ita ut, ne tenebreſcentes quidem ocellos in loculos figet.

Grin. Num Teſtamentum fecit?

Pont. Illicò facturus eſt. Accivit *Opilionem* noſtrum, paſtorem certè eruditum: ſed maxima inter eum ac *Priſcianum* Didaſcalum noſtrum orta eſt contentio.

Grin. Unde enata eſt iſta?

Poc. *Priſcianus* quidem noſter publica voce auſus eſt aſſerere, quod *Opilio* iſte, Sacrarius noſter latinam linguam minimè callet: unde parum idoneum eum judicat ad Teſtamenta vel inventaria conficienda, quia Latinè initiatura ſunt.

Et opportunè veniunt: Secedamus paululum,

lum, quo jurgia eorum meliùs advertamus.

Act. 1. *Scæna* 2.

Intrant Opilio *&* Priscianus.

Priſc. O Atramenta, charta, libelli! Tune *Priſciano* comparari te putas? Noſtine quid *Priſcianus* meruit?

Opil. *Laqueum* certè.

Priſ. *Lauream* imò.

Opil. De imo Tartari loco.

Priſ. Num *de profundis* præmia nobis extrahes? Sed te ſatis novi, *Opilio*: Qui eò operam impendis, eò concionaris, quo porcellos & ova tibi lucreris. Conciones interim, ſi arenulas Maris numero ſuperarent, vix unum valerent Ovum, Nefrentem unum.

Opil. Tace tandem; & impudiciſſimæ linguæ ſilentium impone, aut frangam certè caput *Priſciani*.

Priſ. Age; ſi violator pacis eſſe cupias: Hoc enim facillimè efficere poteris. Nec ſic evades; nec me impunè laceſſes: Hoc audacter dicā, nec eſt qui me meritò nimiæ audaciæ inculpare poterit; Te Paſtorem magis *pecorum* quam *animarum* extitiſſe. Academicos muros nunquam intraſti; ab ejus uberibus nunquam pependiſti. In Suggeſtum prorupiſti, non ali-

ter inſtructus, quàm ut *privatus Spiritus* tibi ſuggeſſerit. Hæccine ſunt vigilantis inſignia Paſtoris? Nullius linguæ idioma nôſti, præter illud genuinæ linguæ tuæ, quod à primis incunabulis unà cum lacte Nutricis ſugiſti. Te liber Hæbreum narrat, ſed lingua negat.

Opil. Quis hominem, Plagiarium imò, tam fricatâ fronte patientèr ferre poterit?

Priſ.—— Vana eſt ſine viribus ira; ſi ſuccenſeas, verte fibulam cinguli tui: Hinc eſt quod moveor, nec ſine cauſa moveor, te, ne ſyntaxem quidem callentem, accerſitum eſſe ad Teſtamenta conſcribenda, quæ inter legendum toti Parochiæ in ludibrium vertenda ſunt: ita enim initiaris.

Opil. Quomodo tandem?

Priſ. In nomine Dominus. Si inſolentiæ nimiæ non incuſarer, ſcire à te magnoperè cupio, *Cujus caſus eſt Dominus?*

Opil. In meliore caſu quàm tu aut ego, procaciſſime *Priſciane*. Sed in nomine Domini, quo te tam jactantèr geris? Quid tibi profuit Gradus ſuſcepiſſe; per tot annos in Sinu Academiæ inutilitèr obdormiſſe; an uno obolo eò ditior es? Interim, ego nec Graduatus, Cucullatus, nec Liberalium Artium elementis initiatus; in pinguiſſimum Vicaragium ſum inductus, ubi Parochiæ rudiori ſatis doctus, quàm plurima in Pulpitis profero, quæ nec illi nec ipſe intelligimus.

Priſ. O piaculum! quò iſta proceſſit impudentia?

Opil. Dicam etiam tibi, pauperrime *Priſciane*, quod

quod indies per totam Hebdomadam, Scholares & ordine & eruditione tibi æquales, menſæ noſtræ accumbere ſolent, & oſtellis paſci. Illi, inquam, qui ut mihi narrârunt, quadras adipe illitas deglubere ſunt coacti, quamdiu inter Academicas ulnas manent, dapſili more á me nutriti ſunt, ſaginati imò; ita ut inſomniis quàm Muſis multò aptiores plerumque relinquimus. Te igitur ad corrodendos ungues cum *virga* & *ferula* transferamus; dummodo nos opiparè paſti inopiæ tuæ miſeremur.

Priſ. O durum, æneum & miſerabile ævum! itane ſpretæ ſunt literæ?

Opil. Ni Patronum benignum habeas, aut Patrem opulentum qui proprio ære, te immeritum licet, promoveat; aut literas Commendatorias quæ tibi viam faciant, parum proficient literæ; parum Liberales Artes; parum cognitio Philoſophiæ. Ego nulla horum novi, beneficio tamen *paternæ fortunæ*, eò crevi, ut in amicis, opibus, honoribus, pleriſq; meæ profeſſionis longiſſimè præluxi. Nullæ ſunt Nuptiæ contrahendæ, nullæ Epulæ celebrandæ, nullæ feſtivitates aut vigiliæ, vulgo *Wakes*, Pocula Waſſalia, vulgo *Waſſall cups*, curioſa Cantica in veſperam Nativitatis, vulgo *Carefull Catches on Chriſtmaſſe Eve*; quibus non intereſſe, imò non præeſſe ſoleo.

Priſ. Miniſtrum ſe gerere Mimicum; ô prophanum!

Opil O te Puritanum eſſe ſentio! Novas doctrinas nobis introduces. Conventicula in propriis laribus ſervare cupis. Dic amodò,

nonne es farraginis hujus ?

Priſ. Quid ni ?

Opil. Tunc te rem putidam, petulcam & peſtiferam eſſe puto.

Priſ. Quid tibi cum Puritanis ?

Opil. Parum certè commercii aut conſortii cum iis unquam habui, vel habiturus ſum. Horreo tamen, quia ab illis haurio mala nomina, mala omina, mala omnia. Curiosè alios cernunt & judicant, deſidiosè verò ſeipſos corrigunt. Ab iis prohibita ſunt *Æſtiva Ludicra*, vulgò *Summer-games*; Tympana, tintinnabula, tibias, tubas, teſtudines ægrè perferũt; *Babyloniæ machinas* nominant; imò *membra* ſua vix tolerare queunt, quia *Organa* appellata ſunt.

Priſ. Quàm lepidè te geris ?

Opil. Si aliquem Ordinibus ſacris initiatum *Segeſtri* cultum videris, illicò eum *Meretricis Supparum* induiſſe dices. Feriẽda ſunt iſta potius quàm ferenda. Sin verò talia renunciaveris, *Priſciane*, & modeſtè de me & Ordine meo loqueris, polliceor me tibi præbiturum eſſe hoſpitium, quãdocunque nos viſitare placueris. Nec in domuſcula noſtra invenies *Oſtium apertum* & *vultum clauſum*. Non illius enim ſum conditionis, ut *vultu* deſtruerem verba, aut parco apparatu pulchra pollicita.

Priſ. Si fronti credere liceret, libentèr inirem pactum amicitiæ; nec quenquam chariorem tibi me haberes.

Opil. Tutè quidem crederes, ſi *Opilionis* mẽtem rectè ſcires. Et quod majus eſt, aliud etiam tibi collaturus ſum Beneficium.

Priſ.

Priſ. Quod tandem ?

Opil. Me, hæredes, executores, adminiſtratores & aſſignatos meos per præſentes, obligaturus ſum, quod, durante beneplacito, mutuo habito, me nec aliquem alium in meo nomine, quocunque ſub colore vel prætextu ullum confecturum eſſe Teſtamentum ſive διαθήκην, vulgo, *Laſt Will and Teſtament*, cujus pars dimidiata tibi non fuerit reddenda.

Priſ. Hac conditione adhibita, ac opportunè præſtita,——unò convenimus ambo. Ne *Damon* & *Pytheas*, *Pylades* & *Oreſtes*, *Pandarus* & *Eurialus* firmiora contraxerunt amoris jura

---

Act. I. *Scæna* 3

POCADILLA *intus.*

Poc. NOn eſt quod hiſce litibus nos interponamus, tam fœlicitèr compoſitis : appropinquemus tamen, & debilitatem *Cornelii* noſtri enarremus.

Opil Quinam ſunt iſti, qui tam præpeti curſu verſùs nos veniunt ?

Priſ. Ægrotantis *Cornelii* iſti ſunt famuli. —— ille *Grincbarnus* eſt, Leno impudiciſſimus, omni turpitudine delibutus, egregii Nebulonis ſtigmate nefariè inuſtus.

Opil. Quænam illa ?

Priſ. Succuba illa, quæ meretriciis ejus artibus laſcivientem illum lenem *Cornelium* miſerè eluſit, eluſum in CORNELIANO DOLIO, calvum, claudum & exuccum reliquit.

Grin. Salvete viri Reverendiſſimi.

Opil. Et tu ſis ſalvus, ſi fieri poteſt.

Grin. Quis hoc dubitet? Mens mihi ſana eſt in corpore ſano.

Opil. Veriùs dicas, ſanitatem tibi eſſe in parte nulla.

Grin. An Medicus es, ut craſin meam diſcerneres?

Opil. Satis cerni, & plus audivi, quàm tu adhuc noſti.

Poc. Quid de me ominaris *Priſciane?*

Priſ. Te nunquam priſcam conditionem relicturam eſſe. Te ſenſim ſine ſenſu ſeneſcere video.

Poc. Vigeſimum annum vix attigi, & tibi ſeneſcere videor?

Priſ. In criminibus ſi non in crinibus, in vitiis ſi non in annis te valde ſeneſcere percipio.

Poc. Ubinam ſeniles rugæ, aniles maculæ?

Priſ. O utinam atrioribus maculis non aſperſa eſſet animula quàm amicula!

Poc. O *Lincei* oculi! num ad interiora mea perrexiſtis?

—— Mittite autem iſta, & properate ad Herum noſtrum *Cornelium*, cui periculum mortis imminet. Accerſivit te (ut noſti) *Opilio*; & tu moram nectis: ô utinam cum morte *Cornelius* noſter ita morã faceret. Jam de opibus ac fortunis ſuis agẽda eſt diſpẽſatio; quod ut melius

fiat

fiat, ad hoc peragendum opus te elegerit, & tu tempus conteris, & tardè redis. Te tamen & Didaſcalum illum in Executores Teſtamenti ſui nuncupavit. *Ambo.* Noſne elegerit?

Poc. Verum eſt quod narro; fabulandi non eſt tempus nec jocandi.

Opil. Æquales nos fecit?

Poc. Quam maximè.

Priſ. Et æqualitèr dedit?

Poc. Præter togam primam ſuam, æqualitèr ſe vobis impertitus eſt: Eam autem *Opilioni* dedit, nec ſine cauſa, ut dixit, hoc exhibuit: Novit enim, optimè novit, togam tuam (Reverende vir) ſubtritam eſſe & vetulam, nec publicis celebrandis feſtis accommodatam; in hoc unicè te Didaſcalo noſtro præpoſuit: de cæteris æqualitèr diſpenſavit.

Priſ. *Oxonia* petit æquales; ſed æqualis nobis non admittendus es, quia nunquam *Oxonienſis.* ——ſed nec locus argumentandi datur nec tempus. Flebiles nobis vultus effingamus, uti lugentibus competit: ſin lachrymas emittere non poſſumus (citius enim de pumice excutientur rivuli) cæpem in ſudarii angulo ponamus, quò libeniùs, occaſione petente, ploremus. Valete.

Ambo. Proſperè agite; interea, ne immemores eſtote Clientelæ noſtræ.

Poc. —— Ha--ha--ha ———.

Exeunt Opil. *&* Priſc.

Quam levitèr fæminæ ludificantur viros! credunt quod nunquam eventurum eſt, ſe

totam *Cornelii* familiam & fortunam diſpenſaturos eſſe; ſed toto cœlo errant: hoc fecimus, quo nobis proficiamus: uti Coraces ad cadavera præceleri curſu emorientem *Cornelium* advolârunt; tantopere ſuavi odore lucri capti ſunt: & capiantur ſemper, modò umbris decipiantur.

Intrant Tuberc. *&* Ciat.

Quid à nobis faciendum eſt, ſi *Cornelius* hinc emigraverit, ut diutius reſpirare nequit, tempore innoteſcet ſuo.——mi *Tubercula*, ſocia noſtri ſanguinis & thori, bene vales?——& tu mi *Ciatica*, delicatula quondam *Cornelii* Ancilla; Quid intus agitur?

Tub. Domicula certè noſtra undique nubila & lachrymoſa eſt. *Cornelius* enim noſter dolet, & dolendo timet ne mortem obeat; & noſtrum eſt non minùs dolere, dolendo timere, ne mortem non obeat.

Poc. Perfacetè complexa es omnia.

Ciat. Saltandi quidem mihi ardens inceſſit deſiderium. —Sed oh--oh--oh—dolor me gravitèr premit in femore.

Grin. Dolor, qui communitèr contigit omni fœminæ.

Ciat. Itane, ſcilicet, mi *Grinchame*! & quid tandem contigerit homini?

Grin. Certè à primo eo die, in quo deſignatus fui nomine *Grincham*, in brachiis, humeris, capite, latere, crure, calce, mille dolores ſenſi. Nunc ad *Bajas* procederem, ſed ne in Lectica quidem obequitare valeo, tanto à capite

c pite ad calcem diſpendio ſalutis laboro.

Poc. Hoc diuturniùs novi, mi *Grinchame*; ſub inſigniis noſtris fortiùs decertaſti, nec ſine ſtigmate militiæ à Caſtris noſtris diſceſſiſti.

Grin. Utinam caſtratus fuiſſem, cum primum ingreſſum in Caſtra veſtra fecerim.

Poc. Quid tandem ſentis?

Grin. Aſperiores *Cupidinis* undique ſentes. ——Sed feram non culpem quod vitare nequeam. Languenti nunc ſenectuti ſuæ provideat *Grinchamus*, in ſenio confectus, ægritudine confractus, in Spectaculum aliis ſe præbeat, cum honeſtè periret.

Tub. Eò nitimur omnes. Tam diu ſub tugurio *Corneliano* noſtro viximus, & præter morbos, Suburbia mortis, parum comparavimus.

Ciat. Hæc una omnibus eſt provincia. Ab eo enim tyrocinio meo in hac *Cornelii* familia,

" *Heu dolor invaſit gelidos ſub nocte lacertos!*

In lectulo meo ægrè me vertere potui; Podagram, Chiragram, & Hip-agram (ſi ita dicere liceat) nocte quotidie ſenſi. Hoc unicum beneficium mihi impertiret *Cornelius*; Mitteret aliquando propter *Syringium* peritiſſimum Chirurgum: ejuſque ope & conſilio fretus, mihi diætam (abſtinentiæ potiùs formulam) imponeret. Sed parum iſta profecerunt.

——*hæret lateri lethalis arundo.*

Tali

Tali aſperitate magis uſus eſt,quo parcè comederemus,quàm quo Salutem compararemus. Cauſâ non ſublatâ, quomodo tollatur effectus? Interim, cum deciduis arborum foliis, capiti noſtro capilli defluerent. Vernali etiam tempore, novi dolores ex integro repullulaſcerent.

Poc. Reverâ, domus iſta noſtra *Lazarello* potius nomen meruit,quàm familiæ. Per tres enim extremos integros annos, nullũ inveni diem, qui ſecum non ſuum protulit dolorem. Fœcundi aliquando æquè ac facundi Calices me mei doloris inſenſibilem magis faciunt: ſed premunt, non extinguunt. Habeo in me quod diſcruciat me.

Grin. Uno omnes laboramus malo.

Ciat. Abeat in rem malam, malum iſtud meum. oh--oh--oh--. Quam breves voluptates lentos protrahunt dolores!——Sed agite Socii mei; Herus iſte noſter *Cornelius* illicò educendus eſt in *Grabato* ſuo: Votum enim fecit ſe in aprico moriturum velle, ſi unquam moreretur. Balbutientem igitur linguam licet ægrè movere poterit, extrema quædam monita ſe nobis traditurum eſſe inſtituerit; ut apertè Sacrificulo noſtro *Opilioni* nuperrimè retulit. Paremus igitur nos ipſos, quò nihil indecorè à nobis ageretur.

Grin. Eſto! Ego in exemplar vobis futurus ſum; ut me obſervato, mores veſtros meliùs componatis. Habitus enim mentis in ſtatu corporis cernitur.———Sed porta crepat,& ſonitus pedum audio. Educendus certè eſt *Cornelius*,aſſiſtentium enim voces teneo. Sub-

tra

trahamus, quò voces vultuſque triſtantium meliùs induamus: Lugubres enim vultus, ſi deficerent veſtes, multum nobis proficient.

Exeunt Grinch. Poc. Tuber. Ciatica.

Act. 1. Scæna 4.

Intus.—ERigite, erigite, ne ſuccumbat.

Intrat CORNELIUS *in* Grabato *eductus*; OPILIO, PRISCIANUS, SYRINGIUS *Chyrurgus*, *famuli*, *&c.*

Cor. Sublevate me paululum è grabato famuli.
Sublevate, inquã, eum qui jam vos alloquitur,
Brevi verò tẽpore ad ſuam rediturus eſt terrã.
O quàm me miſerum, miſerum undiq; ſentio,
Cum corde vel corpore ſemper langueo?
Attendite, igitur, & extremas morientis ſyllabas
Mentibus imis recondite: ——ubinam autem ſervus
Grincbamus noſter, Leno verè peſſimus?
Ubi *Pocadilla* & *Tubercula*, leves Meretriculæ?
Ubi *Ciatica* Ancilla, quam teneram ſemper habui?
Verè ſe Pellices narrant dum ſuos deſerunt,

Ex-

Extremas celeri curſu petentes oras.
Accerſite, accerſite, vel invitis auribus audient:
Siliceas forte fibras penetrent quæ dixero.

Act. 1. *Scæna* 5.

Intrant GRINCH. POC. TUB. CIAT.

Grin. MAndato veſtro moram non faciemus; attendimus.
Cor. Bene agitis.
Grin. Parce tamen, ſi oculis effluat amor.
Nemo enim unquam tam benigno ſerviverit Domino.
Cor. Parcite oculis: omnibus una calcanda eſt via.
Omnes una, & illa anxia eſt, manet hora.
Morti ſervamur & nutrimur omnes.
Illi unicè fœlices qui bene tranſegere dies.
Venite nunc & auſcultate! exeuntis verba
Audienti debent eſſe verbera: & mentis ima
Sede repoſita. Omnes dehortari nos juvat
A meretriciis artibus quibus indulſi nimis,
Ab adultâ ætate indulſi, inquam, nimis.
Videte *Cornelium*, & vitam in Scænam reducite.
Agilis ſemel fui, omnique Proca levior,
Saltandi corpore præſtans; & in viribus
Nulli inferior: hoc *publici* teſtentur *ludi*,

In

In quibus ſemper primas arripui palmas ;
At hi lacerti mortui ſunt · palpitant artus,
Deficiunt vires, vita faſtidium parit.
Nil tam jucundum quàm morte miſerâ miſeriorem
Finire vitam. Lachrymis dedere noſtris
Fomitem perennem veſtra lenocinia.

Poc. Egone *Corneli* ! primas adoleſcentiæ metas
Vix eſſem ingreſſa, cum ædes tuas petii,
Molli me lanugine nondum veſtierat ætas;
Signata virgo, illecebris nullis nota
Haſce portas, inauſpicatas portas, intravi ;
Scatente venâ purior, albâ nitidior hederâ.
At iſta perierunt omnia, pudicitiâ ſpretâ.
Recole,recole,ô *Corneli*; quis eò me pellexit :
Præmia fuerunt tua, pauperies mea,
Quæ me expoſitam ſtupro nudârunt.
Pluraue cupis ? in ſacrum pignus violatam fidem
Deſponſaſti nobis;ſi me prægnantem faceres,
Solennes nuptias mecum contraheres.
Et me non ſterilem demiſiſti;promiſſa tamen
Servare nolles.

Cor. Satis ſuperque memini
O *Pocadilla* ! varias & aſtutias,
Quas tu ſubtilis nimium vafrè lactaſti,
Quo me illuſum caperes.—Nec tu *Tubercula*
Arguenda es minùs.: tua me mollities
Illexit miſerè. Theſaurum ſtupri
Reddis pudorem.

Tub. Caſtè ſi minùs vixi,
Cautè me ſemper geſſi.

Cor. O cautela

Cau-

Cauterio nota !——nec delicatula
Ancilla mi *Ciatica*, evades jurgia.
Ciat. Apage, Here; num talia merui ?
Quot pro te *vulnera* ſenſit *Ciatica* ?
Emplaſtro me magis quàm jurgio
Opus habere diceres, meos ſi dolores
Æquè ut tolero, ferres.
Cor. Miſeror certè,
Sed te tua levitas eò infœlicem impulit ;
Noctivaga fuiſti ſemper, inconſtans, avida
Turpioris lucri : faciem non ſpectaſti
Pulchram, quam perditè non peramaſti.
Nec tibi minor affuit opinio, quo minus illi
Qui te ſpectarent, amarent miſerè.
Sic tu tuæ conſcia facta es miſeriæ.
——Quod ad te attinet, *Grinchame* peſſime,
Deëflet citius tempus quam occaſio
Technas detegendi tuas.
Grin. Fidelis Servus
Semper extiti.
Cor. Ah, perfide fidelis.
Quis unquam votis magis obtemperans fuit,
In pravis acquieſcendo vijs ? Ardens Cupido
Talem aſciſcat famulum, Patronum imò.
Artes apprimè novit omnes meretricias.
Singultim pellices evocare potuit & ſeligere ,
Si quæ formoſior Summænianis latuit ædib9.
Scortorum pretiis nemo unquam notior emicuit.
Civica, curialis an ruſtica eſſet, citò colligeret
Ex ſtatuis & picturis ſibi oſtenſis.
Grin Hoc officium
Impoſitum nobis fuit.
Cor. Ingenuè fateor ;

Nec

Nec moram faceres juſſis iniquis noſtris.
O utinam famuli æquè parati eſſent
Ad Dominis obſequẽdum ſuis in rebus licitis
Aut prohibitis!

Opil Parcite tandem *Corneli*, & remittite.

Cor. Intimè remiſimus. Ignoſcant etiam nobis
Talia ſuadentibus.

Omnes. Ignoſcimus omnes liberè.

Opil. Diverte oculos ab hiſce Pellicibus
Dilecte frater; parum commodi adferent
Languenti animæ.

Priſ. Terreſtribus terram linque;
Et viris noſtri Ordinis Elemoſynas præbe.

Opil. Preme illud, mi *Priſciane.* (*tacitè.*)

Priſ. Pro animâ tuâ orare poſſumus; cantare hymnos;

Opil Et Panegyrico ſermone ad cœlos evehere laudes.

Priſ. Quid ſi vita gravibus delibuta fuit vitiis?
Unum aureolum è crumenâ miſſum te Angelum faciet.

Grin. O pulchra eloquia!

Opil. Nec linguæ ſilentes erunt, modò quod audimus
Te præſtiturum eſſe, commodè perfeceris.

Cor. Deſint Tubæ *Cornelii* vitæ; ſi laudes efferant.
Fucata virtutum vela ſi vitia gererent,
Turpiora vobis apparent, abductis velis.
Nolo me quenquam laudare nequam, nec præconiis
Memorare ſuis: Marmora condant Tutores patriæ,

Qui

Qui rebus geſtis claruere ſuis, & triumphos
Virtuti ſacros celebrâre; me levis urna
Teneat, detentum tegat, & tectum oculis claudat.
Oſſa cremata maneant, ſed ſparſa nunquam æthere
Nec terra forent; in peſtem Cœlo Sologue adferant.
Beata eſt ceſpes, cui bonus hoſpes humandus obtigit,
Suavis enim & redolẽs odor exit de rogis ſuis.
Malus ſatis fœlix, ſi gremio terræ ignotus dormiat.
Monumentum monens mentem non ſuperbiret titulis,
Nec Sculpturis aureis: Quis niſi mentis expers
Altiori lapidum mole ſe preſſum gloriaretur?
Valete omnia, quævis à *Summo* mentem abſtrahant *bono*.

Priſ. Iſte ventus parum proſperè nobis afflaverit.

Cor. Valete, inquam omnia.——*Springi*, paululum caput erige.

Valete vaga lumina; ementiti vultus; diſtenta ubera.
Eſtis eſcæ periculoſæ, Seni æquè ac Juveni naufragæ.
——Et vos crumeni-ſecæ pellicientes mulierculæ,
Valete omnes.——& vos Sepes meretriciæ
Campi deliciæ; valete omnes; nunc patrias lares
Fato jubente, petimus hoc acroamate:

"O

O quàm faſtidioſè olent *Veneris* amores!
O quàm deliicoſè redolēt virginis odores!
Opil. Optimè,optimè; valedixiſti *mundo*,
Prurienti *carni*, *Diabolo* etiam ut ſpero.
Quo Domus diſpoſita tua meliùs & aptiùs fiat,
Præpara te, mi frater, ad eam peragendam partem
Deficientis Teſtamēti,quam adhuc reliquiſti:
Viſne legationes aliquas de ſtatu tuo
Gratìs impertiri?
Cor. Maximè, Reverende *Opilio*.
Priſ. Sed non maximas,ut ſperandum eſt à nobis.
Corn. Primum Voluntas mea eſt vera & ultima
Ut *Grincbamo*, licet Nebuloni valdè egregio,
Centum libræ donentur.
Opil. Centum *liberi Grincbamo*. [*Scribit.*]
Corn. *Pocadillæ* iſtæ meretriculæ levidenſi,
Æſtivis Baiis in *Somerſetenſi* Comitatu cremantiori,
Quinquaginta libræ.
Opil. Quinquaginta *liberi Pocadillæ.*
Priſ. Maſculini aut fœminini generis,iſtine erunt *liberi*?
Corn. *Tuberculæ* noſtræ gravi languenti morbo,
Ne ſub manu Chyrurgi, deficiente ſumptu,
Periret, Quadraginta libræ.
Opil. Quadraginta *liberi Tuberculæ.*
Corn. Nec tuæ immemor eſſe vellem, mi *Ciatico*,
Fidelis enim mihi ſemper fuiſti, & conſtans Ancilla.
Præ-

Præſentia tua (cum dolore referam) nunquá
carui :
" Parſque tui latitat corpore clauſa meo.
Hiſce recognitis, tibi non defuero.
Deſignentur eæ ſexaginta libræ,
Opil. Sexaginti *diveri Ciatica.*
Priſ. Proh hominum fidem! quam fœta
eſt iſta progenies?

Vix *Priamus* tanti totaque *Troja* fuit.

Ne're had the Trojan, Priam *ſuch a brood*
As our Cornelius, *if this ſtand good.*

Corn. Legationes etiam relicturus ſum
plures,
Si eò fortunæ ſuppetant.
Priſ. Sin minùs, quid nobis relictum putes?
Corn Numeroſos babeo Spurios, impuro
licet
Progenitos Semine, lactandos tamen: quorum
natu
Maximus *Corneliano* noſtro nomine notus eſt.
Illi prædiolum conferam Suburbiis conſitum;
Prope locum certé conſtitutum ubi genui.
Vixit enim in Tabernulis Suburbanis illa
Matercula ſua, meretricula, ferè dixeram.
At defuncta eſt illa, & mi reliquit curam
Dotandi eum: Secundus *Polipater* eſt,
Procerus ſane & ſpectabilis Juvenis,
Et *Polipatris* nomen aptiſſimè ei competit:
Nam *multos* habuit *Patres*, aſſerente *Clea*
Obſtetrice ſua, nec minùs ipſa faſſa eſt
In Puerperio; ſed multò ditiori cæteris

Mihi

[M]ihi confertur partus.

Priſ. Arrident iſta placidè.

Corn. Memini, certè memini *Primatem* habuiſſe partem
[I]n eo partu; agnoſcere verò nollet, nec illa
[V]*icinia* noſtra auſa eſt accuſare, ſed diu manſit
[I]ntra lares ſuas; ac indies eam veheret
[A]urato curru ſuo pulchris Inſignus decoro
[A]d publicas Scænas; ubi opaciores loculos
[S]emper eligerent, quò *Centipedæ* liberiús
[S]tantur mutuò; vel obſervari minùs.
[E]go, interim, *Polipatrem* in filium tenere cogor,
Quem altiori licet prognatum Stemmate; fulciam
Fortunis propriis: Sumptibus meis paravi Aream,
[I]n qua globis aſſueſcunt ludere, cujus quæſtu
Victum quæritet & veſtitum; ſin minùs quæret,
C[u]rialem agat vitam, mendicare diſcat.
P[er]ſidem etiam habeo, delicatulam puellam,
Quam fidibus eduxi muſicis. Inadulta licet,
Ceruſſam novit & *fucum*, *Purpuriſſam*, *minium*;
Quid frontem pumicet, ſeniles rugas adimat,
Quid tenſas niveaſque faciet mamillas ſibi.
A[...]tinæ etiam *Tabulæ* eæ non ſunt ignotæ.
Non longum tranſivit temporis, à quo triclinium
Intravi ſolus; Solamq; inveni recumbentem,
Depoſitis acu & tela. Nudatas intra ulnas
Suſpexi ſtatuam, cui, *Pigmalionis* inſtar,
Mille libavit oſcula: *Cinyram* nempe Senem
Myrrhæ nitentem ſuæ; conſpexi ut, abripui

Im-

Impatiens illicitæ tantæ voluptatis.
Opil. Fæmellæ noſtræ hiſce ſolent aſſueſcere,
Dum otiari vacat:mentes evigilant ſemper ;
Sin ſomnient,certè viva ſunt ſomnia:
Dormientes etiam cogitant, quæ vigiles petunt.
Corn. Venerem etiam & *Adonidem*, petulantem ſatis Librum
In ſinu portat, eoque multò peritior evaſit
Quàm probæ neceſſe eſt : ſed iſta parum moovent,
Eduxi, nec vanâ lactavi ſpe, ut ſpero.
Eludere diſcat,aut pereat.
Opil. Pluresne habes,
Qui ſunt dotandi ?
Corn. Spuriolos quoſdem habeo, ſed uberibus adhuc
Pendentes teneris;Parochia curet,ſcilicet,
Quò me lactentur mortuo; cunctis providere nimis,
Quos genuimus : Sin illi, queîs legationes
Tranſtulimus, extremam claudant diem, redeant
Dotes hiſce nothis, quos indotatos reliquimus.
Priſ. Vereor, certè vereor, ne plus ſuis exhibuit,
Quàm ſuum eſt dare:—Heus *Opilio*, interroga
Unde iſtæ exurgent dotes.
Opil. Quamplurimas, mi dilecte *Corneli*, contuliſti Dotes,
Legationes multas ; unde proveniant,ſcirem

Corn

Corn. Hocne ſcire cupis, Reverende vir? attende paululum.
Vide ſupra, infra, circumcirca, ubique invenies
Quod ſollicitè quæris; Lebetes habeo, Cyathos,
Ampullas, pateras, urceos, lagenas, ollas,
Æramenta generis innumeri; ſin iſta minùs placeant,
Extende viſum, Elementa diſquire ſingula,
Iſta ſuppeditent proventus.
Opil Mehercule delirat,
Num ſolutionem legationum elementis trãſferet?
Corn. Quid minus? ſi ignis, aqua, terra, aër,
Non ſatis proferant, ſuffocentur qui plura querunt,
Syring. Quid mihi deſtilletur è nubibus?
Corn. O mi *Syringe*!
Syr. Quantum ars mea potuit efficere,
Libentèr præſtiti.
Corn. Novi, optimè novi.
Accepturus igitur es, ni me malè gratum narres,
Sexcentum ———
Syr. Sexcentum —— ô me ter fœlicem!
Corn. Sexcentum, inquam, ne numero minuatur unus,
Pro tanto otio, negotio, lotio, latinè Merdos.
Priſ. Suavis odor lucri de re qualibet.
Syr. Itane ages.
Syringio tuo? urbem, orbemque morbo cognitos
Illicò faciam, ni operam compenſes noſtram.
Cor. Age, ſatage; plus tibi dedi quàm debui.
Nec

Nec majus exhibui pretium illi *Tarandulæ*
Doctori nefario; qui tot pro laſanis
Tot libras exigeret; ſed calamo utens, re-
ſponſum
Vernacula ſua lingua (ulterius ignoravit)
Hiſce perſtrinxi modis, obtortis naribus:

Dear Doctor hold me no ſuch fool
To pay a pound for every ſtool,
I can for ſix pence have a Page
Get me a ſtool *upon the ſtage,*
Where I may cleare my lungs with laughter,
And cheare my guts a Jennet after:
Some cheaper Phyſick Doctor Drug,
Or elſe I'l take a Purge from Jug.

Syr. Quàm liberè me illudit moriens iſte
Canis!
Priſ. Quid tantoperè nugaris? num mi
Corneli
Te mortem evaſurum putes nauſeoſis ſalibus?
Corn. Erras, ô Erras, mi *Priſciane*: non in
me ſentio
Quod vividum promittat diem; interea juvat
Exire lepidum, ne timidi vobis arguar,
Extremâ petente Scænâ.———ſed heus *O-
pilio*,
Unius penitus immemor fui, cui annuos red-
ditus
Terræ præberent meæ.
Opil. In quem, obſecro, uſum?
Corn. In hoſpitalem; morbidos hîc reliqu
famulos,

Nec

Ne iis igitur deëſſet hoſpitium, dimidiam partem
Fortunæ relictæ ei offeram.

Priſ. Ampla ſatis manu
Omnibus offers omnia.——ſed ſciſſitare mi *Opilio*,
Quò ſe extendunt opes?

Opil. Frater mi *Corneli*,
Quantum habes in arcâ tuâ?

Corn. Tantum habeo & fidei.
——Numeroſas gazas.——primum autem collige.
Totalem ſummam legationis noſtræ.

Opil. Illicò fiet.
" *Greshamo* centum liberi——

Priſ. Nunquam *educare* poterit.

Opil. " *Pocadillæ* quinquaginta liberi——

Priſ. Non novi pellicem in *liberis* tam numeroſam.

Opil. " *Tuberculæ* quadraginta liberi——

Priſ. Relinquantur Parochiali curæ.

Opil. " *Curtæ* Ancillæ tuæ ſexaginta liberi——

Priſ. Omnes uno claudicabunt pede.

Opil. " Summa totalis, du-centum quinquaginta liberi.

Corn. Liberè *liberos* numeraſti.

Opil. Dediſti etiam & conceſſiſti *Cornelio* tuo Spurio
Prædiolum in Suburbiis ſitum: *Pol-patr:* Arcâ
Globis aſſuetam *Perſid:* furatam faciem:
Cæteris Spuriolis totum orbem in ambulacrum.

Corn. O Mercuriale cerebrum! rem tetigiſti;

Intellixiſti me, ac ſi in Pericranio meo domeſticus eſſes.
——Nunc quod ad vos attinet.
Priſ. Hem! nunc mea res agitur.
Corn. Vos, inquam, quorum fidei nitendum eſt maximè,
Executores facimus Teſtamenti noſtri.
Priſ. Optimè.
Quid tandem commodi ex eo depoſito nobis ſuccedet?
Corn. Hoc novi à vobis minùs expectatum eſſe.
Nil amiſſuri eſtis, hoc certè ſcio, ſin aliter evenit,
Solvat Eccleſia.
Priſ. Quinam! *Opilio?*
Opil. Non ſolvam profectò.
Ego propria non ſolvam debita, multò minùs aliena.
Corn. Ne dubitetis; in Pomario, me ſepulto,
Ingentem eruetis gazam: parcite tandem, locum
Reticere libet, donec oppetero mortem.
Opil. Audiſne hoc, *Priſciane?* unâ voce & voto precemur
Quo celeriter emigret; quo intremus Pomarium,
Teneamus gazam, & fictis lachrymis petamus urnam.
Priſ. Diu ſuperſtes eſſe nequit; ægrè ſpirat.
Opil. Spirat tamen; — ô ſi requiem animæ cantemus mutuò!

Priſ.

Priſ. Optata veniet hora.

Corn. Vale reſpirans æther,
Satis à te paſcimur; nec à te paſcendi amplius.
Erige languentem Dominum morti contiguum;
Subleva lecticam; propriis redire laribus
Libet, nec diu commorari licet. Terram me ſentio
Subolere gravem.——Vos qui me conſpicitis:
Clarum in me Speculum fragilitatis cernite.
Nec luti melioris, qui agiles eſtis, nec horæ
Porrectioris: herì me fortior nemo refulſit,
Hodiè quis me debilior?

Opil. Statutum eſt mori; ſtatutum eſt omnibus mori.

Corn. Et exitus iſte mortis Emblema noſtræ.

Exeunt omnes.

Finis Actus primi.

Actus ſecundus. Scæna prima.

Peregrinus , NEAPOLITANUS *Medicus.*

HUc nos fortuna gravis nimis impulit,
Nec quò ſecederem novi *Peregrinus.*
Medicis artibus apprimè notus prodeo,
Quo tamen artes, ſi deficiant nobis
Satellites artium & Heri Pernaſſidum ?
Hæmonios campos, colles amænulos
Quêis *Jovis* almæ cecinere Muſæ
Peragravi ſolus; virtutes florum
Exugi ſacras; nullus me fugit labor:
Mendici vitam Medici vita tamen
Sortitur miſeram, divitis egens ope,
Nec ſic deſpero; veniet grata dies,
In quâ merces nobis redeat debita ;
Neglectæ ſemper pereunt artes
Ignotis terris, quarum judicium
Offuſum tenebris latuit demerſum.

Luce

Luce ſed iſta florent *Mecænates*,
Queïs *Æſculapii* Comites ſunt grati ;
Nec deſunt morbi vitioſis ſeclis
Pateriſque plenis, qui petunt excultos
Artibus noſtris; ubi plerique neſciunt
Patientis gravem miſerè dolorem ;
Quo ſanent tandem? medicinas alii
Adverſas morbis præparant malignis,
Et mille perimunt priuſquam reſtituunt
Unum ſaluti ſuæ : Sunt etiam Ani
Herbas quæ colligunt, neſciunt vires.
Hæ miniſtrare unam ſolent medelam
Omnibus malis, Queïs ſi ſemel obtigerit
Unum ſe priſtinæ reduxiſſe viæ,
(Quæ via vitæ fuit illis ignota)
Has colunt omnes, in honorem ſtatuas
Marmoreas ſtruunt; ô quàm cœci manent
Iſti ? quàm ſuis tepent judiciis nixi ?
Altiora verò ſperans, leviorem auram
Plebis errantis nauſeo: nihil emeruit
Ore prudentum qui plebi nimis hæſit.
——Sed quinam iſte turbido vultu tegens
Occultos motus, languentis animæ teſtes ?

Secedit ſub umbraculo.

Act. 2. *Scæna* 2.

Intrat GRINCHAMUS.

Grin. CEntum libras promiſit tibi Herus; ſed ſolvendi tempus adhuc non appulit. Quid ſi promiſſum iterum mutet, ubi tunc *Grinchamus?* Anxius ſemper fuit & inconſtans *Cornelius*, nec alicui firmior quàm ægrotanti Pellici.——Utinam——ô utinam de hoc Carcere, in quo tam miſerè languet, illicò exiret: aut ego mendicus certè moriar.

Pereg. Quænam ſunt iſta quæ audio? perfidi ſervi verba ſunt; ni aures me fallant.

Intrat Pocadilla.

Grin. Bene-vales, mi *Pocadilla*: quid domo agitur?

Poc. Lachrymatur undique: ſed nobis maxima incubuit cauſa.

Grinc. Unde hoc, mi *Pocadilla?*

Poc. Quia dolores in perpetuos ſocios, comites perennes nobiſcum gerimus: exhauſta nobis oſſa medullis;
Intemperies aëris artus prænunciant noſtri.
Mors nobis vitâ optabilior eſſet: cum omnis ex integro dies novum dolorem peperit. Sed Herus ille noſter maximam nobis dolēdi occaſionem præbet.

Grinc. Imò,hinc illæ lachrymæ; diu nimis vivit.

Poc. Imò, ſerò nimis moritur.

Act. 2. Scæna 3.

Per. QUàm fideles ſunt iſti famuli, quibus Heri vita
Tam faſtidioſa apparet? Murem ſuboleo: iſti
Mihi viã prębeant,ſi eveniant omnia proſperè.
Obviam iis faciam: quo artem verò notiorem reddam,
Quædam referam,quæ eluſos eos capiant, capiendo decipiant.——Quot ignotas regiones, deſertas vias, infrequentataſ provincias, Regias aulas, conſpicuas urbes, Heroïcas ſedes iſti petierunt pedes! Nec parvo honore recepti fuimus.

Quot enim ſplendentia monumenta in memoriam edita ſunt noſtram, in omnibus locis quos inviſimus?

Jurârunt imò incolæ *Æſculapium* Medicinæ Deum reliquiſſe Cœlum, & meo ſe habitu induiſſe numen.

Grinc. Toto certè corpore horreo; multa audivi de quodam *Æſculapio*; hiccine eſt?

Poc. Si medicinalem artem tam peritè calleat, utinam *Æſculapius* iſte intra noſtras lares commoraretur paululum.

Grinc. Tace, & audi.

Per. Non novi morbum tam gravem qui arti

arti noſtræ medicabilis non celeritèr fiat: nec tam levem, quem ars noſtra non inſanabilem faciat, ſi placuerit.

Grinc. O vir clariſſime! certè eum ex propoſito nobis miſſum eſſe puto, quo famulos ſervet, & Herum perimat.

Poc. O utinam hoc præſtaret!

Grinc. Attende.

Per. In hac ciſtella ficos habeo de ripis *Amalthæi* maris collectas, quas ægrotanti non citius applicui, quàm molliore ſomno exit, nec exeundo dolorem ſentit.

Grinc. O fauſtum diem! Iſtæ ſint ficus *Corneliana* dapes.

Per. Alias etiam habeo, quæ *Neapolitano* morbo, quem *Galli*, nec immeritò, ſibi arrogârunt, ictu oculi citius, medicinam adferent.

Poc. Profectò me convaleſcentem ſentio, ipſius aſpectu.

Per. Interim, licet mille Ecligmata, Malagmata, Empaſmata, Diapaſmata, Sympaſmata, Pharmaca, Alexipharmaca, in promptu habeo, ne quenquam adhuc comperui, qui mihi hoſpitium præbeat.

Grinc. Salutemus eum, mi *Pocadilla*, & benignè hoſpitemur, eveniet fortaſſe quod futurum nobis commodum adferat. —Salve vir Venerande.

Per. Salvete etiam. —Noſtiſne hic hoſpitium aliquod, quò divertamus? *Peregrino* tale præſtare officium, humanitatis erit argumentum maximæ.

Grinc. Libentiſſimè hoc facturi ſumus: Scire interim magnopere cupio, à quâ gente prognatus es.

Per.

Per. Ortu *Neapolitanus.*

Poc. Eheu! Te *Gens*, nos verò *Accidens Neapolitanos* fecit.

Per. Affines tunc ſumus, muliercula.

Grinc. Profiteriſne artem aliquam?

Per. Profeſſione Medicus.

Grinc. Peropportunè huc veniſti: amplo compenſaberis munere, ſi curam ars veſtra præſtiterit Hero noſtro.

Per. Quinam ille?

Grinc. Noſtine *Cornelium* in *platea Argentaria* commorantem?

Per. Nequaquam; nec quenquam Civitatis veſtræ: Hoc enim die in portum appuli.

Grinc. Prædives eſt,& gravi morbo diu laboravit.

Per. Quo tandem?

Grinc. Eo nimirum, quo *Neapolitani* maximè laborare ſolent.

Per. Suboleo morbum.

Grinc. Facillimè ſubolendus eſt; nam ſupra terram fœtet.

Per. Diutiùs illud *Cornelio* inſenuit malum?

Grin. Triennii eſt, aut longioris potius proceſſus.——Tu optimè noſti, mi *Pocadilla*, quo menſe illud ei contigerit.

Poc Ne me illuſam patiaris *Grinchame*; ——Patimur, premimurque viciſſim.—Vir bone, Epidemicum eſt iſtud malum in tota familia.

Per. Itane graſſatur? ſævitiæ verò ejus imponemus finem, modò admittamur.——Exoptatumne eſt a vobis, Herum veſtrum priſtinæ ſaluti reſtauratum habere?

Grinc. Certè in promptu non eſt, huic Interrogationi reſponſum facere. Veremur magnoperè qui Clientuli illius ſumus, & indoli ſuæ optimè noti, ne ſi hoc evadat mortis periculum, nunquam dehinc tam benè rectéque diſpoſitus erit ad moriendum. Sprevit enim Mundum, reliquit carnem (ſed nunquam donec caro eum reliquerat) de Domo etiam ſua optimè diſpoſuit. Crimen igitur maximum eſſe cogitarem, eum morti tam compoſitum, ad pejorem fortaſſe vitam revocari.

Per. Optimè dicis; & quod famulum fidelem decet.

Grinc. Faſtidioſa etiam eſt (ingenuè tibi aperiam omnia) præſens ſibi vita, ac totæ familiæ æquè ingrata.

Per. Quid me vis acturum eſſe?

Grinc. Mehercule, ſi ſine lachrymis hoc effari poſſim, percommodum ei eſſet, & nobis beneficum, ſe telam prolixioris vitæ ſuæ abſciſſam habere; ita enim in pace obdormire poterit, quod inter ſuperſtites dum manet, ægrè ſentiet.

Per. Pia ſunt iſta monita; & attentionis noſtræ digna.—Sed auſcultamini paululum; an reticentiæ & cuſtodiæ linguæ eſtis cõſcii?

Grin. Quo minus? Ne Ancillæ nec Pelliculæ noſtræ, quarum vis omnis in lingua ſita eſt, de tali facinore benè ac proſperè perpetrato rumuſculum ſpargent.

Toc. Noſne? Longè ſit à nobis; ne Sepulchralis iſte *Veſpilo* in officiis peragendis ſuis erit ſecretior: *Oſſuario* erimus taciturniores.

Per.

Per. Hoc ſi præſtiteritis, cætera nobis relinquite: veſtrum eſt interea, nobis parare aditum.

Grinc. Ne *Pocadilla* erit apertior.

Per. Ficulos quaſdam in mantica repoſitas habeo, quæ illicò hoc efficient: alias verò diverſi generis, quæ *Neapolitanæ* veſtræ *prurigini* medicinam adferent.

Poc. Abſit *Peregrinis*; nollem *pruriendi* finem habere.

Per. Nec invenies; ſanato malo integrè reviviſces, nec te agilior *Hinnulus* evadet.

Poc. O me! quàm procacitèr me geram?

Per. Sic ab una eademque lycitho, vitam mortemque prodeuntes intelligite.

Grinc. *Æſonis* certè vitales herbas noſtris attulit finibus: Sed ingrediemur, quo apertiorem tibi viam præparemus.——At ſiſte paulìſper gradus—— Quid novi, mi *Ciatica*?

Act. 2. *Scæna* 4.

Intrat CIATICA.

Ciat. PArum novimus novi; adhuc reſpirat Herus.

Grin. Ægrè credo.

Ciat. Mille obſidetur malis; ne unâ horâ per totam noctem valet conquieſcere: pituita laborat graviter: diu ſe à faucibus mortis ſervare nequit.——Quinam ille?

Grinc.

Grin. Unus,quo nemo peritior in arte ſua; *Neapolitanus* Medicus.

Ciat. *Neapoli* natus! Quid nobis cum *Neapolitanis*?

Poc. Nimis negotii certè per biennium habuimus cum *Neapolitanis.*

Grin. Votum ſacrum fecit, ſe brevi ſpatio *Corneliano* dolori finem allaturum eſſe.

Ciat. Num jurisjurando ſe obſtrinxit?

Grin. Firmiſſimè.

Ciat. Tunc de nobis actum eſt, totâque familiâ. Infeſtavit nos ſatis turpiori vitâ ſuâ; & filum illius extendetur? Talis equidem Medicus ficum in præmium meruit.

Grin. Nonnè dolorem Heri finiendum cupis?

Ciat. Morte cupio.

Grinc. Eâque utetur medicinâ *Neapolitanus* noſter; teque nos omnes integros reſtituet; Te alloquetur,ſi placet; —Heus *Neapolitane*, viſne cum Socia iſta noſtra *Ciaticâ* ſocietatem inire?

Per. Nomen certè noxium & peſtiferum habet, familiaritatem tamen non renuo.

Ciat. Mene ſanare vales, vir adventitie?

Per. Quâ parte langues?

Ciat. Imò, quæ tandem pars eſt, in quâ me languentem non reperies?

Per. Te claudicantem video.

Ciat. Si claudam, me herculè,amaveris,me amore dignam invenies.

Per. Me amore tuo verè dignum eſſe aſſeres, priuſquam diſceſſero: Sed opportuniùs tecum colloquemur.

Ciat.

Ciat. Num ſanam me reſtitues ?

Per. Ne hæreas ; leviuſculi ſunt iſti dolores veſtri , ſi altioribus noſtris comparentur Curis.

Ciat. O dies fauſta, feſta, feſtis celebranda fauſtis !

Grin. Quanto ſtupore correpta eſt noſtra *Ciatica* ! Sed ne tempus nugando conteramus, properemus unâ , & peritiam hujus Advenæ plenis buccis evehamus, quo ei facilior pateat aditus. Ædes ſi quis rectè & ordine ingredi vult, claves habeat oportet : Nos tibi Claves erimus, quò citius intres & experimenta probes.

Exeunt Grinc. Poc. Ciat.

Act. 2. Scæna 5.

Per. QUàm citò credunt delirantes iſti!
Quod ſibi poſcunt? enervatis viribus
Me novas vires pariturum ſperant ;
Et ſemper ſperent : at luces pereunt
Exhauſto lampadis oleo fœtentis.
Sub frigido ſaxo non eſt aqua fervens,
Exucco corpori nulla temperies.
Inſaniunt Medici qui tales petunt
Incolumes reddere : ſed, proh, ingrata
Quàm redeunt tempora ! Spreverunt Heri
Languentis vitam,cupiuntque auferri,
Quò ſuis melius rebus affluerent :

Neque

Meque venenatas ficus expectant
Proferentem, dies breviores reddere.
Errant ſed iſti, prece me nec precio
Comperient captum : ſimulare fraudem
Multum proficiat : ſed iſta ſubtacitè
Moliri juvat : curo nec invidiam,
Modò me videam bonis prodeſſe Civibus.
Incumbat eò cura, ſic te perennis
Subſequetur fama : virtutis merces
Summa ſit honor, nacta laboribus ſacris.
——Sed unde iſta muliercula tam præpropero curſu volitans ?

Act. 2. *Scæna* 6.

Intrat TUBERCULA.

Tub. NOnne tu *Neapolitanus* iſte, qui nuper hûc appuliſti ?

Per. Ipſiſſimus.

Tub. Maximè à noſtris approbatus es famulis; viſum igitur eſt Hero meo *Cornelio*, qui periculoſo diu laboravit malo, ut illuc introducaris.

Per. Libentiſſimè.

Tub. Quamplurimos ibi compatrueles, gentique tuę conſanguineos illicò comperies: *Neapolitanos* intrâ & extrâ.

Per. Perfaceta es virguncula.

Tub. Virguncula certè ; virgo enim ſum,

ut

ut omnes Sociæ, in diminutivo gradu.

Ego etiam ſub manu tua, Patiens futura ſum.

Per. Ægrotas ne?

Tub. Nec ægroto, nec valeo; variis autem temporibus Anni febricitare ſoleo.

Per. Febres juvenculis longævos promittunt dies.

Tub. Sed ſaltare nequeo, nec artus extendere ut aſſuevi.

Per. Aliquid latet quod non patet. Scirroſem etiam in oculis apertè diſcernimus.——certè te *Neapolitanam* eſſe agnoſco.

Tub. Mene? vix merui.

Per. Meruiſti ſatis; aliter in te Symptomata iſta non conſpicarer: ſed bono eſto animo; non eò proceſſit malum, quo medelam minus admitteret. Dietam tibi componam in proximo *Foliorum deciduo*, cujus ope perbrevi tempore convaleſces.

Tub. Et *Tuberculam* menſæ æquè ac cubæ (ut aiunt) obſervantiſſimam invenies.

Per. Sed introeamus, ni tardiore acceſſu noſtro, patiatur æger.

Tub. Illicò, illicò: ſed in uno meipſam tibi aperiam, eò enim humanitas tua me compulit, Si perſuaſum te habere potero.

Per. Quid illud eſt?

Tub. Ut manum ab ægrotante Hero meo detineres; neceſſe eſt quò d pereat; convitium autem non exiguum arti tuæ adferres, ſub miniſterio tuo ſi periret.

Per. Optimè mones: interim ſanctiore devincti ſumus voto, in hiſce artibus quando pri-

primùm initiati ſumus, nihil nos omiſſuros eſſe, quo Patienti noſtro meliùs ſubveniamus. Audivi tamen eum peſſimum fuiſſe hominem, & familiæ ſuæ maximè inviſum.

Tub. Nemo unquam turpior nec tetrior.

Per. Propoſitum igitur eſt mihi aut finire, aut novam in eo naturam fundare.

Tub. Priori citius acquieſceremus omnes.

Per. Publicum bonum non ſolum meum ſemper duxi, ſed illud meo præpoſui. Veſtrum eſt tacitè & prudentèr omnia gerere: Ne feneſtras privatis aperire conſiliis. Multa à nobis agenda ſunt, quæ manus peritiam, ſagaciam mentis æquè requirunt.

Tub. Ingredere, ſi placet: Sin verò *Cornelius* ſpiret, perit familia.

Exeunt.

Act. 2. Scæna 7.

SIMPLICIUS, & BALBUTIUS.

Simp. EAmus, eamus Vicine; aut mortuus eſt aut morti appropinquat *Cornelius.*

Balb. De—us me—us—De—us—meus, ſi ill—e mori—etur, mori—emur omnes.

Simp.

Simp. Non ita, mi amice *Balbuti*, non ita; fortaſſe nos ſumus melioris luti, nec tam celeritèr morituri.

Balb. Ego non ſcio, an moriar aut non moriar; val-de ta-men tim-eo ne mor-iar, quia om-nes ill-i qui præceſſ-erunt me non ſunt inven-iendi in ter-ris.

Simp. Forſitan in aliam regionem ægrè profecti ſunt.

Balb. Cer-te non Sapi-entes er-ant tot terras & ten-ementa, tot paſ-cua, pec-ora & hæredi-tamenta poſt ſe re-lin-quere, & ig-notas ter-ras quæ-rere, ſed certumne eſt, quod *Cornel-ius* noſter tant-operè per-icli-tatur?

Simp. Veriſſimum: omnia faticina lethi nuncia eum morti præſignarunt: Canes formiduloſo & inauſpicato more portas domus circumlatrant, Striges circa lares ululant, Nycticoraces ſupra domum horrido ſtrepitu volitant.

Balb. Re-ve-ra, vi-cine, hæc ſunt ſig-na quod homo non eſt hu-jus mun-di.

Simp. Extremum nos interim peragamus officium.——Sed ecce *Opilio* noſter!

Act. 2. *Scæna* 8.

Intrat OPILIO.

Opil. S*implicius* & *Balbutius* Parochiani mei chariſſimi! quamplurima enim à vo-

bis

bis accepi, à prima inductione in Vicariam meam, ova, pullos, porcellos, vitulos, anates & anſerculos——benevaletis ambo. Sed quo tenditis, mi gregales oves?

Simp. Ad viſitandum ægrum.

Opil. Ægrum! quem ægrum, mi plebecula?

Balb. Lang-uen-tem noſtrum *Cor-nel-ium.*

Opil. Bene agitis, bene agitis, opus eſt charitatis: ſed certè ni feſtinetis, ſuperſtitem invenire non poteritis. Uſum enim linguæ penè amiſit; & ego jam properantèr redeo, ad pulſandam campanam, quò omnes ſecundum conſuetudinem bonam & legalem pro eo orarent.

Simp. Dives certè moritur.

Opil. Utcunque, utcunque; neque valdè dives, nec valdè pauper: Ordinavit autem *Opilionem* veſtrum & *Priſcianum* Teſtamenti executores.

Balb. O quam di-vi-tes vos er-itis?

Opil Rationabiliter, rationabiliter; Novit nos eſſe homines conſcientiæ, deditos elemoſynæ, & charitatis profeſſores in Orbe.

Simp. Enimverò te ſatis probum reputamus omnes, ſed mediocritèr doctum.

Opil. O *Simplicie*, quanta inter vos regnat Simplicitas! Num igitur parùm me doctum exiſtimatis, quia ampullas non projicio, Græcos characteres minùs calleo? Rabbanos, fateor, nobis alienos: Sed ſi placeret, talia proferremus, qualia nec vos nec ipſi intelligeremus. In Parochianis hiſce fanis noſtris eloquẽtia uti, dementiæ eſſet maximæ. Imò plura vobis

bis dicam, mi fratres, quod tota Parochia, quæ de laniis, lenonibus & Bubulcis præcipuè conſtat, tantum ſumptus minimè expenderet, quantum facundia noſtra uno die exigeret. Invitaretis fortaſſe ad Anſerinum feſtum; quò autem iſta ad loquendi feſtivitatem? Inſomnes nos dimittitis, quo paratiores habeatis ad prurientes aures veſtras permulcendas. Sed meliora ac molliora novimus, quàm corpora noſtra ita macerare, multò minus debilitare.

Simp. Abſit, quod ſtudia nocturna veſtra debiliores vos redderent.

Opil. Abſit, mi *Simplicie*, longè abſit. Conjugem habemus delicatulam, & à nobis multa expectantem: veſtem, (ſi novo more confectam) non videt, quam non avidè appetit: imò, ſi gravida facta ſit, ut omni anno plerunque evenit; amiculum non videt, cui non invidet: emorituram ſe illicò fingēs, ni comparet quod expetit. Diſſuaſum verò me maximè habet à nocturnis elucubrationibus (tantum Grammaticæ legerit) longè periculoſiſſimas eſſe dicens. Nil eæ magis exoſum eſt, quàm me librorum coëmptorem audire: me *liberis* magis quàm *libris* proviſurum monens. Et monitis acquieſco, præter enim quaſdam ſyngraphas, alioſque codicillos vetuſtatis injuria & tinea (juratiſſimis literarum inimicis) miſerè abſumptos & corroſos, parum in Muſæolo noſtro invenietis. Diſceptationes haſce *Arminianas* ego ne flocci pendeo; Quò proficiunt? Quid efficiunt præter lites & ſimultates? Omnes Scholaſtici eſſe volunt, an boni ſint

parùm

parùm curant.——Quamdiu Paſtor fui Parochialis gregis veſtræ ?

Sim. Per quindecem integros annos nobiſcum manſiſti ; optimum enim retineo indicium adventus tui : quia eodem menſe Scropham habui, quæ uno tempore viginti porcellos peperit.

Opil. Non tamen multum ditior quàm primum ad vos veni. Publicam & munificam ſemper menſam habui : Lares noſtras non petiit, qui inops rediit : Quam hoſpitalitatem, licet ægrè tulit *Prunella* noſtra ; Oceanum citiùs exhaurire, quàm me à propoſito divertere poterit.

Balb. Hoc te tu-is cha-riſſi-mum fec't.

Opil. Succenſeat, ſuccenſeat nobis uxor noſtra : Parùm me movet mulieris ira : ſuavem & jucundam traducamus vitam ; hoc Elogio ſemper adhibito ;

" *Non aura levis capiat opimos,*
Cum mens delicias ſaperet divinas.

Simp. Deus te incolumem diu ſervet.

Opil. Optimum illud erit uxori noſtræ, licet irâ aliquando percita, cum multa dicat amaritudine, bene illæ eſſet, ſi ego morerer. Sed certè hoc non cogitat : Pauciores enim & pauperiores reperiret patinas, indigentiores amicos, numeroſiores curas; Nec tam ſplendido appareret cultu, nec primam in templo ſedem eligeret. Tunc forſitan tota ejus ſubſtantia relicta eſſet in perulâ.——Sed diu, nimis diu vos detineo ; properate, properate ſi hoc

hoc viventi officium præſtare deſideretis. *Ambo.* Jubemus te bene valere.

Opil. Noſtrum eſt jubere, vos parere: valete.

Exeunt. Manente Opil.

Reminiſcere, reminiſcere (recordatione enim tua apprimè dignum eſt) ſi *Cornelius* iſte jam ſupremam diem attigerat, ubinam locus eſt in quo ingentem eam auri molem ſe recondidiſſe aſſeruit. ——O fames auri ſacra! quantis me banditiis allexiſti? *Cornelii* certè vitam *Cervi* illa longiorem optarem, ſi me *Executorem* non feciſſet. Quidam eſt odor lucri, qui de rogis defuncti exiturus eſt.—Sed quod ad locum attinet; ni memoria me fallat, Pomarium erat, in quo iſte defoſſus latuit theſaurus. Interim, quid ſi indigens ille noſter *Priſcianus* te circumveniat, pretioſo eo theſauro locum ſibi cognitum Orbando? Si Scholaris certè, (ut plerique ſunt) circa res mundanas non ſimplicitate nimiâ laboraret, expectationem penitus fruſtraretur meam. Sed parùm hoc metuo, quia in eo parum ingenii erga ſeculum percipio.

Act.

Act. 2. *Scæna* 9.

Intrat SYRINGIUS.

Syr. QUis ingratum magis audivit unquam? *Heſperides* illæ vigilantiores non erant circa *aurea* ea *mala*, quàm ego circa iſta creſcentia, fœtentia imò, *Cornelii* noſtri mala. Quid tamen retribuit? Ne muliercula eſt tam levis & ſordida, nec ulla tam ſquallens aſſecla, quæ in morte ſua aliquid commodi non hauriant: ego autem, qui diei æſtum, frigus noctis patientèr pertuli, ei factus ſum & omnibus in ludibrium.

Opil. *Syringius* iſte Chyrurgus ejus fuit, & mercedem vigiliis ſuis undique reſpõdentem, non recipiens,——aliorum macreſcit opimis: ſed pergat ille in loquendi licentia: Omnia qui perdunt, liberè ſe exprimant: Vulpes nunquam melius paſcitur, quàm cùm execrationibus premitur.

Syr.——Et ille Sacrificulus, qui ſemel per totum ægritudinis tempus viſitavit eum, quantum commodi ab eo accepturus eſt! Nec impunè evadet, laceſſam ſcilicet, parum licet ex eo certamine proficiam.——Heus tu *Opilio*, quibus tandem philtris, queis pharmacis uſus es, ut tam immeritò *Cornelii* gratiam tibi conciliares? Quot noctes vigilaſti? Quos labores ſuſtinuiſti, ut minimum tibi lucellum cõparares?

Opil. Curam habeo animarum.

Syr:

Syr. Habes certè, ſed *decimas* magis quàm *animas* curas.

Opil. Id populus curet ſcilicet.

Syr. Ubinam ille, qui tecum in *Executorem* cooptatus eſt?

Opil. Didaſcalus *Priſcianus* noſter! in ludo literario.

Syr. Interim, tu in ludo illiterato oſcitantèr ludis.

Opil. Otiantèr diceres.

Syr. Oſcitantèr imò; dum aliorum præmiis inhias.

Opil. Injuriam mihi offers; certè linguam ſi non teneas, in *Supremam Commiſſionem* accerſieris: Scandala, Scandala ſunt iſta, vir bone; non noſti pallium meum.

Syr. Illud novi, quod nunquam *Palladem* novit: imò, impexa antiquitas illud novit: quando novum inveniet?

Opil. Impudentiſſime Barbare Barber, non ſinam, non patiar. Pilæ, pilulæ, pelves & pelluvia tua, in anathemata erunt. Tune, pexo licèt capite, lotis manibus prodeas, *Opilionem* Paſtorem tuum laceſſere audes?

Syr. Audi plura, ſi minus audeam. Officium fuiſſet veſtrum curam & diligentiam commendâſſe noſtram, languenti & jam morienti *Cornelio*: ſed iſta vobis unicè incubuit cura, quo propriis commodis inſerviretis, licet nullam prorſus mercedem pigritia veſtra promereretur.

Opil. Procaciſſime Tonſor.

Syr. Imò, Tonſor tuipſe es, qui lanam modò tondeas, pecori parum provides.

Opil.

Opil. Iſta omnia ſcandala activa, paſſiva, ſive cujuſque generis ſunt, in unam ſcedulam colligam & conſcribam; conſcripta Procuratori Archiatus tranſmittam.

Syr. Age; parum qui habet, parum amittet: Criminationibus pauperum Clientum eam ſatis novi Curiam celerrimè fatigatam eſſe. —Sed dic amodò, quem tandem in uſum, opes iſtæ *Cornelii* expendendæ ſunt: an publica erigent Xenodochia, pauperibus hoſpitia?

Opil. Nequaquam; erigenda potius ſunt ſceleratis Chyrurgis Patibula.

Syr. Itane? Oviculos ſuſpenſos tuos relinques?

Opil. Te certè ſuſpenſum citius relinquerem, quàm hærentem vepribus expedirem.

Syr. Perpulchra charitas! ſed novi, apprimè novi, quò tandem expendendæ ſunt iſtæ opes. Proxima feriali die, indocilem uxorem tuam *Cornelianis* decoratam inſigniis videbimus.

Opil. Quid hoc ad te?

Syr. Quàm maximum; inaſſuetum oculis ſplendorem adferet.——Sed narra, obſecro, quam partem habuit *Cornelius* in uxore, ut eæ tam liberè impertiret?

Opil. An Scortum putas, *Prunellam* noſtram?

Syr. Abſit; hoc verò ſcire vellem, quo aliis ſatisfaciam.

Opil. Dicam tibi, quod pellis in fronte matris tuæ non honeſtior eſt, nec fuit unquam—

Syr. Credo certè, audivi enim (ſed ſubticere

cere juvat) matrem *ſocietatis domum* tenuiſſe in juventute ſua.—ſed aliò divertendum eſt, ſuboleo virgam.—heus Didaſcale, Hippodidaſcale——*Priſciane* !

Act. 2. *Scæna* 10.

Intrat PRISCIANUS.

Priſ. MEne! quid vociferaris?

Opil. Surrepam tacitè, & dementiæ relinquam ſuæ.—Cave mi *Priſciane*, fœnum in cornu habet.

Syr. Abi tu in malam crucem, qui Vicariam in *Cornagio* tenes.

Opil. Abiturus illicò; ſed tene quæ offers. Tali cum Scurrâ diu nimis perſtiti.—Nunc accerſiendus eſt Campaniſta, ni moriatur *Cornelius*, priuſquam Tintinnabulum ſonet.

Exit.

Priſ. Quid tu cum *Priſciano*?

Syr. Parum negoti, multum odii.

Priſ. Quæ tibi illata fuit injuria?

Syr. Quam maxima. Nudaſtis me Penſione mea.

Priſ. Quâ tandem?

Syr. Eâ, qua ex animo fuit *Cornelii* nobis elargiri.

Priſ. O egregium commentum ! ne meminerit tui quidem in Teſtamento.

Syr. Novi; ſed unde iſta oblivio ?

Priſ. Ut aſſeruit, emeritò : imperitiæ enim tuæ mortem aſcripſit.

Syr. O ingratitudo fœneraria !

Priſ. Dixit te etiam quaſdem ſibi applicuiſſe pilulas, quæ vires debilitârunt penitùs.

Syr. Exoptatò moriatur; & ſiccis oculis comitentur omnes. Quantum olei & operis incaſſùm abſumpſi, in perpetuam ſui memoriam Poſteris tradetur.

Priſ. Ne iſta te excrucient: Non incompenſatum te dimittemus. Mihi refer omnia. Non te fallam, modò fiduciæ noſtræ te tranſferes.

Syr. Perlibenter hoc faciam. Scholaſticum te verè probum & optimæ indolis ſentio. Quicquid tibi placuerit, pergratum mihi offeret.

Priſ. Faxo : extremam nunc petit oram *Cornelius* noſter; nec mortem citiùs obiturus eſt, quàm accuratior ſuſcipienda eſt ratio de adminiſtratione. Mora enim in rebus dubiis valdè periculoſa eſt : quamprimum igitur ut terræ mandabitur, quod ſuum eſt (ut jus poſtulat) cuique tribuetur.

Syr. Bene agetis; *Syringii* modò memores.

Priſ. Frontiſterium me moratur; te tuis, nos noſtris demus operam.

Exeunt.

Finis Actus ſecundi.

Actus

Actus tertius. Scæna prima.

Peregrinus, Grinchamus, Pocadilla, Tuberculla, Ciatica.

Per.

Quo me trahitis? quò arti meæ moram nectitis?

Grin. Non præſtitiſti propoſitum: vivit adhuc *Cornelius.*

Per. Et adhuc paululum vivet, invito clamore veſtro. Nonne optimum putatis, eum de medio tolli ſine ſuſpicione?

Om. Optimum & tutiſſimum.

Per. Conquieſcite igitur; & omnia arti & fidelitati noſtræ commendate. In *Dolium* immiſi & immerſi, quo apertiorem viam propoſitis cœptis habeam. Peritiſſimi enim Medici

noſtri hiſce balneis & thermis, ad tales ſanandos dolores uti ſolent. Intuemini, ſi placuerit, Herum veſtrum Tepidario ſuo immerſum.

Om. Quàm libentiſſimè.

Per. Eumque me illudentem audietis, fallacem demulcendo ſpem ſuam, longioris vitæ promiſſis, quando vix duos ſupereſſe dies poterit.

Om. Optimè, optimè.

Poc. Ita audiamus tamen & videamus, ut nos præſentes non cognoſcat.

Per. Iſtum opportunè fiet.

Poc. Jocari enim libet & cachinnum edere, cum *Hirudinem* eam ſpectabimus in *Dolium*, aurem-tenus immerſum.

Per. Quod vultis, agite.

Act. 3. Scena 2.

Abducto velamine, detegitur CORNELIUS *in* DO-lio *poſitus.*

Secedunt cæteri.

Corn.—VAlete ô *Veneres Cupidineſque*
" Et quantum eſt hominum venuſtiorum. *&c.*

Per

Per. Bono eſto animo, mi *Corneli*, iſta *Neapolitanis* mala egregiè ſunt nota; nec faciliùs ſanantur ulla.

Om. Ha-ha-ha.

Corn. O femora, latera, ilia, omnia!

Per. Eſto pauliſper patiens. Satius eſt quod iſte te dolor premat quàm perimat. Nonne gratum tibi fuerit, reviſere famulos, reſerare loculos, numerare greges, paſcuis expatiari, ſeriis & ludicris ſano corpore intereſſe?

Cor. Maximè, maxime; ſed quando, quando!

Om. *Ad Græcas Calendas.*——Ha-ha-ha.

Corn. Oh-oh-oh-. moriar certè, licet eò vix compulit ſenilis ætas.

Per. Deus ſæpe, quos plurimi facit, eos citius aufert è vitâ. Narrabo autem quædam expertiſſima, queïs dolorem ſi minus adimere potero, minuero ſaltim. Non te ægrotare tantoperè dolet, quàm eo laborare morbo, qui in te diutiùs ſævit. Inſipientèr verò in hoc agis. Gentilitius eſt morbus, taliſque quo Primates æquè ac Optimates à Plebeïs & infimatibus diſtingui ſolent. Quis tunc, ſi generoſum ullum ſanguinem per venas diffluentem habuerit, qui hunc non amplexabitur morbū; imò ut inſignem familiæ ſuæ notam non judicaturus eſt?

Legimus, & ſæpiſſimè legimus in Venetiæ generali eâ Hiſtoriâ, à talibus initio quàm plurimas familias, ſtirpes & ordines duxiſſe originem, latiùs creviſſe, & magnitudine ſua in fine laboraſſe.

Hippocrates narrat quoddam fuiſſe genus

hominum, qui, apertiùs quo diſcernantur à Plebeïs (nobiliori enim ſe ſtemmate ortos eſſe credunt) pro Inſigni eligunt nobilitatis ſuæ, capita eorum efformata habere Saccharinæ Collyræ inſtar: quam tandem effigiem & figuram, quò artificiosè magis conficiant; illico ab ortu pueri, Obſtetrices eò ſtudioſè incumbunt, ut caput illius cunis & vittis arctiùs ligaretur, donec in eam componatur formam. Et artificium iſtud brevi tantoperè crevit, invaluit imò, ut in naturam converſum fuit: In proceſſu enim temporis omnes illi pueri qui nobiliores erant nati, capita eorum acuminata habuerunt ab uteris matrum.

Cor. Quò iſta?——Quo iſta? premunt, non levant.

Om. Et premant ſemper-ha-ha-ha.

Per. Applicare licet: ſi Nobiliores & Spectabiles magis viri, nil ulteriùs optarunt, quàm ab infimis iis terræ fæcibus diſtingui, eoque adjuncto charactere, à quo plus deformitatis quàm pulchritudins ſumpſerunt; (ſtolida enim & ineptula talia cenſemus, capita,) quò tibi meritò vertatur in convitium, eò graviore malo, quod Optimates à peſſimis diſtinguit? Quàm *Aulico* enim compar eſt, & *comp'eto* homine (ut coætaneis verbis utar) inflexo poplite claudicare? bacillo non morbidè minùs quàm magnificè incumbere? Capiti coëmptam Camilli Cæſariem, adulterinum capitium, coaptare?

Orinc. Quam pulchrè dum ludit, illudit? ha-ha-ha-.

Per. *Cornelius* imò ille *Agrippa*, qui nomine

ne tuo auſpicatus eſt omen tuum; quàm inclyta præconia de Nationali morbo noſtro in publicum edidit? Quam licet Panegyrem, Paradoxum appellent plurimi, in dubio non eſt quin permulta in eo dolore utilia Patienti reperit.

Corn. O me miſerum, quam levitèr iſta movent?

Per. Mentum erige; corrige mentem.

In *Dolium* immerſum te eſſe perperàm dolles; hinc autem te generoſum verè eſſe narras. Ruſticani noſtri hunc languorem neſciunt: *Dolium Cornelianum* ignorant; pereant illi cum inſcitia ſua. Tu interim, ſi ad epulas inviteris, menſalibus in colloquiis omnibus gratus eris, quia in omnibus apprimè lectus & notus.

Cor. O me! hiſce me malis nimis lectum notumque ſentio. oh-oh-oh.

Per. Erige frontem; perire nequis, modò languori tuo manum noſtram non ſubmoveas. Vincit qui patitur; & patiendo nobilem victoriam tibi compares.

Cor. Novi quod legi, Nobile vincendi genus eſt patientia——.aſt ſuper humanam patientiam ſunt quæ fero.

Per. Ne hoc dicas, graviora neceſſe eſt quod feras, priuſquam ſaneris.

Om. Quàm ingenuè ſecum agit? ha-ha-ha.

Per. Fortaſſe nunc horres delicatulam eam carnem, quam inter amplexus tam tenerè habuiſti tuos.

Corn. Horreo, faſtidio, nauſeo. Omnes

 mu-

mulierculas quas juvenili tanto ardore tenui, Ranis, Araneis, Tineis, Lamiis magis exoſas habeo.-oh-oh-oh.——Valete omnes *Turnbullenſes* , *Clarkinwellenſes* , *Bloomsberienſes* ; tuguria veſtra Summœniana nobis ſunt ſtygiis ſpecubus inviſa magis.——oh-oh-oh. Errores doleo quos lactavi; terrores horreo quos ſpectavi. O nauſeantia oſcula! Erga ſalaces pellices tyrannidem exercere libet.

Om. Tyrannus cum tyrannide in dolio doleat & pereat ſuo, ha-ha-ha-.

Corn. O *Pocadilla, Tubercula, Ciatica*-infauſtæ domus ſupellex peſſima!

Poc. Eheu! Quomodo *Phalaridis Cicuratus* iſte *Taurus* mugit?

Om. Mugiat, rugiat, lugeat, modò opportunè pereat.

Corn. O meretriciæ artes, quàm graviter noſtros cruciatis artus! -Non eſt mihi cornea fibra.—nec adamantina coſta. oh-oh-oh.

Act. 3. *Scæna* 3.

Intrant SYRINGIUS & OPILIO.

Syr. PRæſtò, præſtò mi *Opilio*, adducam te ad Locum & Lemurem eum *Peregrinum*.——proſpice; num te à lachrymis contineas?

tineas ? Ore-tenus , ſuſque deorſum in hoc *Dolium* miſerè demerſum tueberis *Cornelium.* —Ecce quomodo jactatur ad auras !

Op. Ad auras & aures, ô *Syringie.*

——*Quis videat ſiccis, qui videt iſta, genis?*

Veneficus certe eſt iſte *peregrinus.*

Syr. Ne dubites.

Op. Ubi gentium ?

Syr. Ubinam quæris ? Quò cœtus omnium vitiorum exceſſit. Quò palus peſtium, ſemen ſcelerum ſeceſſit. *Neapolitanum* ſe aſſerit.

Op. Magnam ſane Pallio meo attulit injuriam. Hoc enim *Dolium* in pœnitentiæ Sellam, vulgò *Stoole of Repentance* ei cenſuit: quod Cenſuræ genus penes nos dare eſt aut remittere.——Heus Laniene, quid agis *Cornelio* noſtro ? Tuumne eſt ei indicere pœnam ! non impunè evades. ô utinam ungulæ noſtræ ſatis oblongæ eſſent ad vindictam.

Corn. Quis *Syringum* huc introduxit cum Paſtore ad ignominiam teſtandam noſtram ?

Om. Horum aſpectus eum occidet illicò, illicò. Ha-ha-ha.

Op. Quid taces ? quò linguam tenes improbe ?

Per. Non facilis eſt venia, prava dixiſſe de rectis. Quod Ars noſtra requiſivit, ſedulò agimus. Non tibi nec tuis moleſti erimus. Parum interim modeſtè feciſtis , in privatas Ægrotantis lares tam inopinatè irrumpere.

Syr. Tune extorris , immodeſtiæ nos audes incuſare? ô Sciole impudentiſſime ! Quis

te ad hanc urbem tam paratis peritiſque Medicis ac Chyrurgis undique inſtructam vocavit? Noſne nobis tantoperè indigentes ſumus, ut remotiores huc Profeſſores accerſiremus? Occidere æquè ac ſanare novimus ut vos ipſi. Quis te ad hanc provinciam tam arduam ſuſcipiendam, nunquam credo ſuperandam, conduxit? Piſtrinum promereris certè, qui talia aggreſſus es, quorum ignarus penitùs reſtas. Quos tandem libros Phyſica tractantes, legiſti?

Per. Plures certè de hoc argumento diſſerentes de memoriâ meâ evolâſſe, quàm te unquam evolviſſe arbitror.

Syr. Perpulchrum eſt hoc Oſtentum.

Op. Tace *Syringe*, tace. Parum morarer, ſi *Clericus* ejus eſſem, an *legere* poſſet aut non. Curabo interea, quod dehinc nulli Ovium meorum Pœnitentiam imponat ſine conſenſu meo.

Audi, igitur, audi *Peregrine*; dic amodò, quis tibi auctoritatem dedit in Caulam intrâdi noſtram, & Oviculum, morbidum licet, tali afficiendi pœnâ? Reſponde, ſi vales.

Per. Neſcio an tu vales, ego quidem valeo. Tota Chyrurgorum Aula hanc nobis libertatem conceſſit: Et miror, valdè miror dementiam tuam; teque tam ſtupidum & excordem eſſe, ut me opinareris *Cornelium* veſtrum in hoc *Dolium* immerſiſſe, in cenſuram pœnitentiæ, ſed in medelam infirmitatis ſuæ.

Op. Tace, Tace; nonne hoc inſigne ſpecimen eſt pœnitentiæ, in *Dolio* frigidâ aquâ op-

oppleto tamdiu nudum immorari? Quid nos imponimus lenonibus noſtris, quod illi ipſi non impoſueris? In publico conſpectu, noſtri nudi-pedes ſtare ſolent, linteo obtecti, & albam virgulam in manu ferentes: graviora autem iſte *Cornelius* noſter pertulit, quàm diſciplina noſtra unquam inflixit.

Per. Si talem acrimoniam adferat medicina, qualem ei exegerit carnis diſciplina? Prima à primis Elementa Gymnaſiis imbibimus. Nobis ſatis ſuperque nota eſt diſciplina noſtra. Nec rigidi nimis, nec indulgentes eſſe volumus. Molliùs contrectare dolorem, gravare potius eſt quàm ſanare. O quàm multi profeſſionis noſtræ (& hoc in convitium iis vertatur ſemper) modò cutem ſanam reddant, ſaniem intra cutem & carnem ſubſcatentem parum curant?

Syr. Tuumne eſt, Adventitie, *Peregrine*, Empyrice, famæ noſtræ maculam aſpergere? Dicam tibi, & expertum faciam confertiſſimâ argumentorum acie, quod Empyricus es, Profugus Empyricus; A *Johannes Babtiſta Succa*, qui exucca pharmaca, adulterina olea, lethæa medicamenta huc aſportaſti, ubi publica Theatra erigis, erigendo venalia facis, quæ promercari aliter non poteris. Non-ne ipſe hiſce oculis te vidi, chirothecas, philtris & pigmentis verè fucatis, ſi non veneficiis, explentem; & de Proſcænio tuo, ubi magicas exercuiſti artes; in noſtratûm gremiola projicientem?

Per. Quid ſi?

Syr. Vix noſtra modeſtia iſta perferet.

Per. Interim, veſtra modeſtia erit languentem occidere, poſtquam loculos replevi-ſtis ſatis. Nullus, inquam, eſt finis avaritiæ veſtræ, nec non ignorantiæ.

Syr. In malam crucem abi; quis impudiciſſimum os tuum non obſtrueret?

Per. Contumeliis fortaſſe poteris, ratione nunquam.

Grint. Digladiari circa artem non deſciſcant, modò ſub arte eorum ille pereat.

Cor. Deſiſte, deſiſte *Syringie*; quis te accerſivit? Diutiùs te demiſi; Ægrotantem enim me ut inveneris, reliquiſti. Nolo te admittere amplius: Neceſſe eſt mihi mori, non tibi mecum commorari.

Syr.——Heus Gallicane, ſi laceſſere me pergas, impudicitias detegam tuas! Exere depilatam frontem; Pantherinam pellem; auſcultare, auſcultare *Sinon* Veneris, incendiarie fæminei generis; qui in cineres & rogos redigiſti omnia.——Ubi *Pocadilla* tua, quâ nec *Brothella*, *Spittella*, nec *Lazarella* magis morbida?

Poc. Eheu! quis me meo appellat nomine?

Syr. Ubi *Tubercula* tua, quæ humani ſeminis peſtis extat?

Tub. Quænam eſt illa peſtilenta lingua, quæ tot conviciis *Tubercula* famam maculat?

Syr. Ubinam delicatula ea Ancilla tua *Ciatica*, quam teneram ſemper habuiſti, cujuſque in omni artu, omni articulo memoriam retinuiſti?

Cor.

Cor. Oh——oh——oh. *ægrè* memini.

Syr. Verum agnoſcis; *ſanè* enim vix unquam meminiſti. Nomen autem delicatulæ illius tuæ in femore inſcriptum puto.

Ciat. O utinam *Ciatica Syringii* etiam ancilla eſſet, quàm graviter eum premeret?

Syr. Audieſne plura?

Cor. Sat audivi; abi in rèm malam: quid mihi tecum eſt? Eliminio te projecerunt famuli mei, & fricatâ fronte tuâ denuò auſus es intrare?

Syr. Intrare, ſi minùs ſanare licet.——In noxam ſectatur & umbra: vel te invito, plura audies. Ubinam *Grinchamus* ille tuus, morbicoſæ totius familiæ nequam Præpoſitus?

Grin. O quàm immanis eſt iſta bellua! pœnas certè luet pro hiſce convitiis.——Induamus Meretriculæ verè ſociales & lepidæ, induamus has larvas ſub opaciore hoc umbraculo occultatas, & unâ voce, voto & veſte proruamus, quo dehinc à nimiâ linguæ petulantiâ impudentiſſimum iſtum *Syringium* abſterreamus.

Om. Quò illud opportunè fiat, planè neſcimus.

Grin. Induemini, induemini; quod reliquum eſt, conſilio noſtro detur.

Syr. Age, ſatage, adeſto tota familia; quâ nec pejor nec peſtilentior ulla.

Inſtar Spectrorum larvatas habentes facies, omnes ex umbraculo proſiliunt, & ingenti clamore aſtantes perterrefaciunt.

Act.

Act. 3. Scæna 4.

——HO--ho--ho-adſumus omnes, adſumus omnes.

Syr. Spectra, ſpectra, ſpectra. *Corneliani Penates.*

Op. O Gens viperarum! Certè una harum fæminearum Lemurum umbra eſt *Prunellæ* meæ——oh---oh——oh. { *Currũt circa theatrum perſequentibus famulis.*

Opilioni veſtro parcite, clementiſſimi Spiritus, Paſtor eſt Parochialis.

Om. Ho——ho——ho.

Op. Bene agitis; perſequimini *Syringiam*, peſtis eſt Civium.

Om. Et tu ovium. Ho——ho——ho.

Op. Parcite nobis, amantiſſimi Goblins, per aras, lares, focos.——parcite, inquam, & amicus ero uſque ad aras.

Per. Quis unquam audivit talia?

Cor. Heus *Peregrine*, nonne Lemures iſti intrabunt in *Dolium*?

Per. Neſcio, neſcio; Gravis me tremor occupat.——Num Spiritus ſunt iſti Avi, abavi, atavi?

Op. Audi *Syringie*, audi; tu legiſti Phyſica, Non ſunt iſta animalia *purgativæ* naturæ?

Syr. Quam maximè, quam maximè. Oh---oh--oh.

Op. Parcite tandem, aut valete.

Om.

Om. Nec parcemus, nec valedices : --Ho--ho--ho.

Op. Si minùs abſcedere licet, Dicite mihi, ô ſpectabiles ſpiritus, ſi ullus ſit veſtrum qui *Prunellam* noſtram repræſentat : illam enim novi hoc ipſo manè mihi graviter fuiſſe ſuccenſam.

Poc. Ipſiſſima ſum *Prunella.*———Sed noli me tangere, contactu enim tuo in felem mutanda ſum.

Op. Infælix felis ! ſed quare larvalem hanc faciem, umbraginis ſpeciem induiſti ?

Poc. Iſta *Meduſæ* progenies vultum mihi faſcinavit proprium.

Op. Quamdiu ſub hac ſpecie manſura es ?

Poc. Quoad caſtraberis.

Op. Heu mihi ! Quid tibi proderit me caſtratum habere ?

Poc. Tibi quam maximè. Teſtes erunt continentiæ.

Op. Abreptis *teſtibus*, decèrunt teſtes. Nullumne remedium eſt, quin me emaſculatum, vel te amabili ſpecie orbatam habuero ?

Poc. Quoddam certè eſt, quò te intactum integrumque ſerves, meque tibi non minùs amabilem tuearis.

Op. Narra, mi Corculum, narra.

Poc. Noſti *Pocadillam* ?

Op. Scortulam illam *Cornelianam* !

Poc. Ipſiſſimam.——Subauſcultare, Lupus eſt in fabula. Si me meæ reſtaurandam formæ cupias, eæ tribues in pignus amoris, optimam togam Sericeam meam.

Op. Eheu ! Quo interim te amicies ?

Poc.

Poc. Paranda eſt mihi alia veſtis multò pretioſior, non *Civili* ſed *Curiali* moræ confecta; Ne hæreas, hoc ſi minùs feceris, me nunquam priſtinam reſumpturam ſpeciem jurârunt iſti.

Op. Præſtabitur illicò mi amicula; nulla admittetur mora: totam *Glebam* cum omnibus emolumentis & proficuis ex ea creſcentibus & renovantibus; Decimas majores & minores, vitulos, porcellos, & oves oppignoraturus ſum; Nihil deërit, quo *Prunella* noſtra amiſſam ſpeciem recuperet. Viſne plura?

Poc. Nullimodo; ſummoperè verò curandum eſt tibi, quod toga ea quam mihi paras, valde ſplendida ſit & ſumptuoſa, laciniis & fimbriis nitidè diſtincta; alitèr actum eſt de *Prunella* tua.

Op. Si vivo, hæc omnia incunctantèr præſtituri ſumus.

Om. Quēis peractis, tutè recedas.
—Quantum autem ad te attinet—Ho—ho—ho.

Syr. O me miſerum! quo me trahitis?

Om. Ad Orcum.

Syr. Mortem horreo, non opto.

Om. Eò igitur traheris, quo horres.

Op. Valete Candiſſimi ſpiritus.—Induſium mihi eſt mutandum; ſentio enim inſolitum fœtorem ex larvali hoc pulvere generatum.

Exit.

Syr. Quid vultis me facturum?

Om. Linguæ imponere cuſtodiam.

Syr.

Syr. Abſcindetur, ſi placet.

Om. Abſcindetur certè, ſi limites tranſeat.

Syr. Veſtrum eſt mandare, præſtare noſtrum.

Om. Jurabis te meretriculas dehinc perditè amaturum.

Syr. Juro.

Om. Et gratis te eas ſanaturum.

Syr. Juro.

Om. Nullis te eas convitiis ſectaturum.

Syr. Juro.

Om. In omnibus te eis in Satellitem extiturum.

Syr. Juro.

Om. Nec ita evades. Patientum vulnera venenis tuis non inficies.

Syr. Juro.

Om. Nec ſophiſticis oleis dolores protrahes.

Syr. Juro.

Om. Nec ementitios Auctores te relegiſſe finges.

Syr. Juro.

Om. Abi; adhibito hoc ictu in *poſterioribus.*

Syr. Hoc, lepidiſſimi familiares, in ſummæ humanitatis argumentum libentèr accipimus.

Exit.

Om —Et nos ad ſtygias tendimus umbras. Ho--ho—ho.

Exeunt.

Cor.

Cor. Exierunt ſpectra, mi *Peregrine?*

Per. Exierunt, exceſſerunt, eruperunt, evaſerunt; ne veſtigium tanti horroris relinquitur.

Cor. Me herclè *Dolii* æquè ac *doloris* penè me oblitum fecerunt iſti: nunc verò ex integro ilia pulſant.

Per. Terribili erant aſpectu.

Cor. *Megæra, Teſiphon, Erynnis,* iis peramabiles fuerunt Nymphæ.

Act. 3. *Scæna* 5.

Intrant PRISCIANUS & OPILIO.

Priſ. MEdius fidiùs, ſi verum narras, aut dæmoniaca ſit tota iſta *Corneliana* familia, vel planè effaſcinata.

Opil. Hoccine credis?

Priſ. Ne dubites; ubinam ille?

Opil. Ecce! poſitus in *dolio* ſine *dolo.*

Priſ. Imò, olere eum in *dolio* faciliùs perſuaſum habeo.

Opil. Si formiduloſa ea conſpexeras larvali habitu induta ſpectra, & me & exanimatum noſtrum *Syringium* ſectantia, nihil citius crederes. Nunc enim per mentum, barbam & naſum nos vellicarent: nunc horrido clamo-

re

re territarent; Nullus veſaniæ eorum finis.

Priſ. Iſta apertè probant miſeram hanc familiam veneficiis eſſe illuſam, ſi minus à Dæmonibus infeſtam.——Appropinquemus; ſi ulla talis calamitas haſce graſſetur ædes, in promptu exorciſmum habeo, quò ab his ſerventur Manibus.

Op. Philtra ne habes?

Priſ. Probatiſſima; quorum unum ipſi *Cornelio* referam, antequam diſceſſero. ——Heus tu *Peregrine*, quas Lemures tecum aſportaſti? Mitte eas in malam rem ad *Neapolitanas* oras.

Per. Quò iſta?

Priſ. Neſcis ſceleſte? In Piſtrinum te conjectum habituri ſumus, ut emeritam pœnam tantæ nequitiæ luas.

Per. Delirat certè.

Priſ. Ne in vitium id mihi vertas; de præſtigiis tuis latiùs increbuit fama.

Per. Quibus tandem?

Priſ. Viſne omnia me repetere? audi & erubeſce. Quò iſtum miſellum *Cornelium* noſtrum perditè illudis? Hoccine eſt recuperare ſalutem? In *dolium* immitti & immergi? Terribiles Lemurum cœtus in lachrymabilem hanc domiculam emittere, totamque familiam infeſtare?

Per. Somnias vir bone.

Priſ. Nequaquam me ſomniantem invenies: immunis nullibi evades.

Op. Obſerva mi *Priſciane*, quomodo *Cornelius* caput agitat; quàm diſtracto more oculos diffundit! Utere, obſecro, utere, ſi tibi in prom-

promptu ſit, Exorciſmo illo, quo infernales Spiritus placare ſoles.

Priſ. Agetur illicò.

A Larvis & Lemuribus,
A Spectris & Dæmonibus;
Pharmacentriis & præſtigiis,
Magis, Sagis, peregregiis;
Incubis, Succubis, Ephyaltis,
Subterraneis, mediis, altis.
Igne fatuo, Robin goodfellows,
Habitantibus in cellis.
A phantaſiis aquæ, aëris,
Satyris, Faunis vulgò Fairies.
Ululatu à Bubonis,
Crocitatu à Bufonis,
Feris & chymeris noctis,
Crambis, pultibus bis-coctis:
Liberetur hic Cornelius
Quo nobiſcum vivat melius.

Opil. Optimè, optimè; fregiſti caput, mi *Priſciane,* omnium Lemurum, ne muſſitare audent.

Actus

Act. 3. *Scæna* 6.

Intrant GRINCHAMUS, POCADILLA, *&c.* *larvali habitu, ut ſupra.*

Om. QUis nos ad arenam provocat? Semel reviſimus hominum oras. Ho--ho--ho.

Op. Heu me omnium miſerrimum! —appropinquare Spectra *Priſciane*; ego certè non tam ſtabilis ſum in fide.
—Emitte philtra; illico-illico—.

Priſ. Appropinquare tu, *Opilio*; ego nec volo nec audeo.

Opilio *&* Priſcian. *dum fuga ſibi ſalutem quærunt, præcipiti more evolantes,* Cornelii Dolium *projiciunt.*

Op. O mi *Prunella*, quid me perſequeris, mi tenerrima umbra, lectiſſima larva, quid me tantoperè terres? Ego novam tibi togam ſpoſponſi cum omnibus pertinentiis.

Priſ. Iſtane *Prunella* tua?—obſecrare, obteſtare, deprecare,

Op.

Op. Parce, mi Melliola—parce mi Viola--oh-oh-oh.—Dabo certè tibi, modò parces, Decimas meas Majores, Minores, & quæ amabiles tibi ſunt maximè, *Medias.*—Per oſcula, baſia, amplexus, omnia.—parce mi *Prunella.*

Poc. Nequaquam parcam,—non præſtitiſti ſponſum—minima tibi aſtuit cura me ad priſtinam reducendi formam.—Ubinam toga quam mihi coëmeres? Ubinam ea quâ *Pocadillam* mihi conciliares?

Op. Illicò, illicò, producendæ ſunt, modò manum teneas.

Priſ. O Manes, mitiſſimi Manes, manus tenete!—Parcite virgiferæ, nova vulnera parcite virgæ.

Om. Parcere ei qui ne pueris parcet, nefas eſt—flagelletur, flagelletur, ſuſtineat quod inflixit, ferat quod intulit.

Priſ. Fero, dum ferio--oh--oh--oh.

Op. Mi amicula, unum tibi paratur Syrma, aliud *Pocadillæ* mittendum.

Cor. Quis *Pocadillam* vocat? Vitro fragilior ſum, oſſatìm confractus; oh--oh--oh.

Op. *Prunella* eſt mea, mi *Corneli*; quæ mutata eſt in larvam. Promiſi me togam miſſurum *Pocadillæ* tuæ, & hodiè præſtiti. Inſtat tamen omnibus viis & modis ad me terrentum, terendum imò.

Cor. Proh hominum fidem! Tota familia mea obſeſſa eſt. Quàm miſer pereo? Triſtis ſemper exitus mœſta ſequitur initia. " Terreſtri illæ provinciæ nunquam affui, in quâ minùs proſperè mihi non defui. " In nullo

ſe-

ſeculari negotio habui acceſſum, quod auſpicatum mihi præbuit ſucceſſum. Sed emerita nobis inflicta eſt pœna.

" *Illius ædibus imminet ruina,*
In cujus finibus latuit popina.
" *Iſtius laribus pendent exitia,*
In cujus finibus eſt avaritia.

Op. Certè mi *Prunella*, ni larvalem hanc exuas formam, tecum nunquam cubabo.

Poc. Id populus curat ſcilicet, *cæteri volunt:*

Op. Hei mihi! Nunc *Cuculi portum* me conſcendentem ſentio; in cujus frutetoſam marginem hoc reperio inſcriptum.

Hic Cuculi portus, *quo fixit in arbore ſortes*
Corniger, urbanis civibus arma ſuis.

Grinc. Ha-ha-ha. Pulvillum cornuum ſegmentis ſuffertum eſſe putat. Nocturnum pileum novo more geſtat.

Priſ. Oculos certè claudam, quo minùs videam.

Op. Oculos ſi claudas, quo minùs timeas, oculis tamen clauſis non minus periclitaris.

Priſ. O utinam nunquam has ædes ingreſſi ſimus! Quò furor iſte placetur veſter?

Om. Renunciando, renunciando.

Op. Quid vultis à nobis renunciandum? Ego equidem omnia libentiſſimè renunciaturus ſum uſque ad *Prunellam* meam.

Poc. Hoc facilè credo: Sed te non deſeret

ret *Prunella* tua ; vivam vel mortuam ſemper in Comitem feres.

Om. Renunciandum eſt Teſtamentum *Cornelii* ; in quo putidulus ille Hircus vos Executores conſtituit.

Ambo. Nil libentiùs acturi ſumus.

Grinc. Neque hoc ſatis eſt ; vice eorum deputandus *Grinchamus*, *Cornelii* ſervus.

Cor. Interrogentur Spectra an norunt *Grinchamum.*

Priſ. Noſtiſne, ſi humanitati veſtræ complaceat, *Grinchamum* iſtum ?

Grinc. Novimus æquè ut noſipſos. Homo probus & legalis, integerrimus *Cornelii* Servus. *Om.* Nihil nos latet in totâ *Cornelii* familiâ.

Cor. Eheu ! An inferis notus eſt *Cornelius ?*

Om. Et *Cornelius* & Pellices ejus nobis valde noti. Nec quis unquam conſtantiores habuit.

Cor. Noſtis *Pecadillam ?*

Pec. Amicam lepidam ac fidelem.

Cor. Et *Tuberculam ?*

Tub. Candidam ac cordatam Sociam.

Cor. Et *Ciaticam ?*

Ciat. Dulcem ac delicatulam ancillam.

Cor. Noſtis etiam Herum ?

Om. Nemo meliùs.—atro carbone notatus. Nulla de eo relicta eſt ſpes, ni famulis quicquid injuſti extorſerit, transferat.

Op. Iſti certè *mendaces* ſunt *Spiritus*, & nequaquam credendi.

Om. Non ementiti ſumus te egregiè hoc deſignatum eſſe Schemate. †

Cor-

Cornuti ſignum faciunt. †

Op. Dic mihi, mi nitidula *Prunella*, tune hoc aſſeres?

Poc. Tene linguam, ne debilitatem tuam referem.

Opil. O me miſerimum! renuncianda ſunt omnia. Pudorem etiam conjugis deploratum audio. *Oreſte* ſævior exurgam: & iſti furorem perferent Spiritus noſtrum.

Om. Ne tangas, ni pereas. Ho-ho-ho.

Opil. Voces non tantoperè timeo ac Cornua. Vapulabitis certè.

Per. Abſit, Reverende vir; quo ictus? quo enſes? Non percutiendi ſunt Spiritus. Conciliemus potius nobis iſtos in familiam ſuccenſos. Prece non pretio, voto non ferro profligandi ſunt iſti. Te igitur ſi perſuaſum habeam, *Corneli*, non iniquum erit hiſce in omnibus ſatisfacere. Diſtribuatur famulis ſubſtantia; cooptetur *Grincbamus* in Executorem. Diſponantur omnia ut optant, modò ædes noſtras relinquent.

Om. Relicturi illicò, modò agatur.

Cor. Diſcedite, diſcedite; *Grincbamum* noſtrum cooptandum cenſuimus, in nullo mandatis moram faciemus.

Om. Valete.

—*Non haſce lares dehinc petemus,*
Nunc tenebroſas quærimus oras.

Op. Memorare, mi *Prunella*, priſtinæ for-

mæ, aliter peregrina eris cubili noſtro.

Poc. Prunellam mutabor in ipſam.

Exeunt.

Op. Neſcio, certè neſcio, quid de Spiritibus hiſce cogitare. Nec novi quid *Prunellam* meam moveret ad formam ſuam tam pulchram & elegantulam umbratili hoc habitu mutandam. Cogito, verè cogito eam in cellariis veneficium exercuiſſe, & ex eo cum Dæmonibus primam iniviſſe ſocietatem. Si hoc cognovero, aliena poſthac fuerit mihi meiſque. Quis enim cum Lamia concubitum iret? Sin verò, invitâ mente, eò coacta fuit *Prunella*; miſereri potius quàm ſuccenſeri debeo. Syrtibus hæreo; nec quid agendum video.

Act. 3. *Scæna* 7.

Intrat PRUNELLA.

Prun. O *Pilio*, — *Opilio*, heus tu *Opilio*.

Op. Quis me vocat? *Prunella* mea! quantum mutatur ab illa? Tangam te paulisper; an corpus es ſolidum?

Prun. Et ſucci plenum, amplexibus tuis nimis dignum.

Priſ. In nova fert animus mutatas dicere formas.

Op.

Op. Ego certè mi *Prunella*, votis obſequendo tuis, te ad primam reduxi formam.

Pru. Quæ vota? Quæ forma?

Op. Deus meus, non meminiſti te in Lamiam mutatam eſſe?

Pru. Quæ Lamia, ineptule? Imò, quò ſurrepſiſti tu furcifer, cum togam mihi primam ſurripuiſti?

Op. *Rem tuam* quamprimum dilexi, ſine ſurreptione & cepi ſæpiſſime & ſenſi.

Pru. Utinam Coluber tibi eſſet, cum poſthac ſenſeris: ſed narra mihi Sacerrime, cui dediſti vel oppignoraſti togam meam? Quam tandem in meretriculam elegiſti tuam, ut meis indueretur veſtibus?

Op. Certè *Lethem* epotavit, aliter nunquam obliviſceretur quod tam ſeriò mihi demandavit. Audi mi *Prunella*, nonne in memoria tenes, quid de me toties efflagitaſti?

Pru. Dic flagitioſe, quid flagitavi.

Op. Quando Larva eras, & inter Spiritus infernales rectè numeranda, optaſti, optando impetraſti, me optimam togam tuam miſſurum *Pocadillæ*.

Pru. *Pocadillæ!* Nomen ejus ſemper oſſibus tuis hæreat. Quid *Pocadillæ* cum toga mea?

Op Ut mandaſti, miſi; quo propriam formam reſumeres

Pru. Egregie Nebulo, quam tandem habui formam, quam nunc non retineo?

Op. Teſtentur omnes ſi hoc effinxero. Nulla te Larva fuit deformior; ita ut eò me cogeris affirmare, tecum me unquam cubiturum eſſe ni larvalem exueres formam.

Pru. O Mendaciſſime, quis unquam impudentior? Tu, quo lenociniis indulgeas tuis, me nudam demittes: & quæ tandem veſtibus amicienda eſt meis, niſi *Pocadilla*, pellicula certè fricatæ frontis, famæ pejoris, contagioſi corporis?

Op. Quò minùs darem, cum juſſeris?

Pru. Egone juſſi, Sceleſte? Nunc cum convivalibus meis, *purioribus* nempe meis *ſororibus*, Conventiculo finito Sympoſium adirem, ſurreptitio more ſuffuratus es togam meam, eamque meretriculæ miſiſti peſſimæ.

Op. Novam tibi ſpopondi.

Pru. Novam tibi deſponde crucem. Non ſic evades Curculio. Redde mihi togam, aut fronti inſignia paravero.

Op. Quid facies mi *Prunella*?

Pru. Subaudi; Quidam *Equis* auſpicatiores erunt quàm fuerunt adhuc.

Op. Heu mihi; cacoëthe in fronte ſentio!

Pru. Senties certè, ſi minùs reſtitueris.

Priſ. Mira & ſtupenda audio. Domina *Prunella*, ne iraſcaris obſecro, ſi quod hiſce oculis vidi, renunciavero.

Pru. Age; narra quod voles.

Priſ. Vidi te nuperrimè in Larvam permutatam eſſe; hiſce oculis vidi; hoc ad mortem aſſeruero.

Pru. Tune cum eo confœderatus es? Redi ad ferulam peſſimè; Quid tecum habeo? Nec formam mutavi nec mentem; abſcede, ne unguibus utar. Nova ac inaudita eſt iſta dialectica: perſuaſas conjuges habebitis, eas Larvales induiſſe formas, quando eis ſatisfacere

alitèr non poteritis. Perpulchrum eſt hoc commentum !

Opil. Ut me dii amant, non commentor: nec me Commentarium unquam legiſſe memini.

Per. Ne te decipias Domina, audivimus vocem, & mutatam conſpeximus formam.

Pru. Et te Empyricum novi egregium. Quis te miſit ad nos, ut ſophiſticis oleis tuis eluſos nos relinqueres ?

Cor. Licet pulmones deficiant noſtri, continere me diutius nequeo. Oh-oh-oh-appropinquare, appropinquare Magiſtra *Prunella*, quâ te fronte negare putes, nimis larvalem aſſumpſiſſe formam? vidimus, audivimus, geſtū obſervavimus; lippientibus imò oculis, te Spectrum teterrimum ſuſpexi.

Pru. Quis te *Neopolitanum* ſuſpectum non videat ? Audi, morbicoſe ſenex; Proſtibulum intra proprias lares diutius ſervaveris; Nulla unquam fuit, tenera licet nimis & inadulta, quæ portis tuis exire potuit eâ mente, câ modeſtiâ quâ intravit. Mille fæmellas ſtupris expoſuiſti tuis: interim in *Dolio* doles; quia diutius peccare nequis: aut quod dolorem in te inſanabilem audis.

Cor. Impudentiſſima *Prunella !* qualem Veſparum ſuſcitavi nidum ?

Pru. Nonne Poſticulum memineris, improbe, quod extructum feceris, quo tutiùs & occultiùs eluſæ mulierculæ tuæ, quas prece vel pretio eò illexeras, domiculam intrarent tuam ? Impunè jurare licet, me ſepties in uno menſe eo receſſu fuiſſe conductam ad cubiculum tuum.

Opil. O me inſignitèr miſerum!

Pru. Ponticulum etiam quendam erexeris, quo Lamam melius pertranſeamus, quæ infeſtum tuum circumlavit tugurium.

Cor. O me infœlicem! reteget omnia.

Opil. Nunc opportunè video, quamobrem me in Executorem deſignaverit.

Pru. Et tu, egregie *αὐλαιὸν*, ſperas me hallucinatam habere, iſta nova & excogitata tua ementiendo figmenta?

Op. O mi *Prunella* mea, remittam omnia, modò placaberis.

Pru. Furias placatas citiùs inveneris; auſcultare ſi placet; fortaſſe ex propoſito veſtro eſt repudium quærere: quod ut faciliùs acquiras, hoſce peſſimæ conditionis, tuæque farraginis, pejeratos milites ſubornâſti, ad jurandum me in Lamiam, Larvam vel Spectrũ eſſe mutatam.

Opil. O mì dilectula, nunquam propoſui.

Pru. Age nefarie, & illicò togam reſtitue; ſin minùs, hiſce unguibus *Pocadillæ* oculos eruam.

Exit.

Priſ. —Bella—horrida—bella. Certè in pallio tuo non eſſem, pro omnibus Decimis tuis. Iſta non erit pugna ſine pugnis. Neceſſe eſt quod reſtituas aut verberaberis.

Op. Conſule *Priſciane*, quid à me agendum eſt: ſicut impunè nunquam offendere potui; ita libentèr nunquam feci. Vidiſtis, ut ego ipſe, *Prunellam* in Larvam totalitèr mutatam: affirmare tamen non audeo. Imo oculis meis pa-

parùm eſſe credulus incipio. Vocem fortaſſe *Prunellæ* audivimus, effigiem etiam vidimus: voces tamen æquè ut ſpecies aſſimilari novimus. Larvata certè iſta *Prunella* mihi vera non fuit *Prunella* : Decepti fuimus omnes, ulterius igitur rimandum eſt.

Priſ. Quid imperactum reſtat, quod præſtandum cogitas ?

Opil. Hoc ſupplicitèr poſtulo à *Cornelio* dolente noſtro, ut acciret famulos ſuos, an quicquid de hac re iſti norûnt.

Cor. Libentiſſimè.—oh-oh-oh.—accerſiantur, accerſiantur (*Peregrine*,) *Grinchamus*, *Pocadilla*, *Tubercula*, *Giatica*, tota familia, quo eorum ingenio, de hoc Meandro expediamur. Hoc certè novi, noſtras has ædes nunquam talibus infeſtatas fuiſſe Spectris: Nec invenio quo magis nos turbent, ni imminentem mortem noſtram prænuncient.

Act. 3. *Scæna* 8.

Intrant GRINCH. POCAD. &c.

Vbinam omnes ? Hoccine eſt miniſterium ægrotanti Hero præbere ?

Grinc. Negotiis veſtris domeſticis nulli unquam fuerunt intentiores : tenerioribus au-

tem noſtris parcite oculis: Herum enim tam benignum ac munificum quis ſine lachrymis dolentem conſpiciat?

Corn. Quod veſtrum eſt, in hoc perficitur; miſſis verò lachrymis, brevitèr reſponſum expectamus. Noſtiſne Spiritus Ullos Lares frequentare noſtras?

Grinc. Sæpiſſimè; ab eo præcipuè tempore in quo *Dolium* intraſti.

Corn. Hinc colligi poteſt, quod non citius intravi *Dolium*, quàm è *Cœlo* in *Domum* intravit Spiritus. Narra *Grincheme*, num aliquid vobis faciendum innuerunt?

Grinc. Nihil omninò impoſuerunt nobis: Quædam verò, eaque tacenda, vobis ſe impertituros eſſe, dicebant. Teſtamentum tuum, ut cætera ſileam, maximè improbarunt.

Corn. Hoc veritati optimè aſſentit: non alitèr enim ſe nobis explicuerunt.

Opil. Sed heus *Pocadilla*, nonne tu nuperrimè accepiſti à me togam?

Poc. Accepi, ſed cujus gratia, planè neſcio.

Opil. Ego ipſe ſum qui miſi, & Spectri conſilio niſus, hoc libentiſſimè egi.

Poc. Inopinatè, æquè ac inoptatè ad me miſſam retinui. Sed inopiam meam certè norunt inferi; eò te perſuaſum ad mittendum habuerunt.

Opil. Certè ut acceperis, neceſſe eſt quod reſtituas.

Poc. Abſit. Hoc eſſet in *Plauſtrum infernale* te introducere. Ne poſtules igitur, nunquam enim compares. In aliam etiam reduxi formam quàm accepi.

Op.

Op. Fuſtibus me cædet *Prunella* mea, ni recepero.

Poc. Iſta humeris tuis relicta ſit cura: dum mihi quod datum eſt tenuero.

Priſ. Quò altiùs ſcrutamur, majoribus ſemper implicamur laqueis. Liquet, totam familiam hiſce infeſtatam fuiſſe Spectris. Non præſtigiæ ſunt nec doli. Ni eorum certè præſtentur juſſa, tota peritura eſt familia.

Tub. Sane nos mulierculæ tanto perculſæ ſumus timore, ut ſine ardentibus tota nocte lucernis, quibuſdam etiam aſſociantibus, ne in lectulis auſi ſumus diſcumbere.

Ciat. Præcipuè ſub conticinium noctis, talem compedum & manicarum ſonitum inaudire ſolemus; ac ſi Tartareo carcere omnes exierant Captivi, & unâ acie, uno cœtu eò confluxiſſent.

Poc. Unâ certè nocte, me Herum meum apertiſſimè viſurum cogitabam, ignitam in manu facem gerentem. Toto contremui corpore, alloqui tamen optavi, ſed nequaquam potui.

Cor. O me! Num ſpeciem aſſumpſit meã?

Poc. Nullam certè ſimiliorem, nec ad vitam magis effigiatam. Loculos etiam quoſdam ſub axilla habuit, quos leviùs manu attractando ſua, vociferari cepit: ô Metalla, Metalla, miſera miſeri hominis ſolatia! quâ emiſſâ voce, coruſcantis inſtar fulguris, diſceſſit.

Tub. Alia etiam nocte, nec vigilans nec ſomnians, vidi quendam torto ac rigido vul-

tu, ſen ili habitu, ferulam in ſiniſtrâ, in dextrâ virgam ferentem.

Priſ. Iſtud, ſed tacere licet, Spectrum me repræſentavit.

Ciat. Inter omnia, Nulla mihi magis formidulosa apparuerunt oſtenta, eo tandem quod herotinâ nocte me conſpexi ſſe ſenſi.

Op. Quod tandem?

Ciat. Hominem, Dæmonem potius humanam aſſumentem formam, ſubattrita toga indutum, ramoſis cornibus è fronte creſcentibus inſignem, & Meduſam à tergo ſequentem & flagellantem.

Op. O quàm ſimilem mihi depinxit umbram!

Ciat. Horrui certè, pilis in altum ſurgentibus: imò, noſti mi *Tubercula*, quod me exanimem penè de lectulo extraxiſti.

Cor. Nihil præter horrorem video nec audio.——Suberigite me; nitemur pro viribus, hiſce quietem Spectris adferre: ſin minùs, placentur nobis Superum iræ, nos enim noſtris redituri rogis.

Exeunt.

Finis Actus tertii.

Actus quartus. Scæna prima.

PRISCIANUS, GRINCHAMUS.

CRedamne *Grinchame*, nos in Teſtamẽto eo *Cornelii* conjunctìm Executores fieri?

Grin. Quid minùs? Perſuaſum fieri Herum, te à Larvis ædes noſtras inviſentibus, infeſtantibus imò, præcipuè nominatum eſſe.

Priſ. Excluſo igitur *Opilione*, ad invicem nos deſignati ſumus.

Grin. Ex eo amore, quo te ſemper affecerim, iſtud ſtudiosè præſtiti.

Priſ. Nec ſine fructu præſtiteris; rectiſſimè proſpexiſti: valdè avidus eſt *Opilio*, nec portiones æquè ſortiremur, ſi in Conſortem cum haberemus.

Grin. Hoc apprimè novi, *Priſciane*: Nunc proprio jure utamur. Expectet forſitan ſe in hoc officium cooptatum eſſe, ſed actum eſt de eo.

Priſ. Interea, non inconſultè faciemus, ſi varâ ſpe illectum reliquerimus.

Grin. Id meum eſt; aliter enim totum negotium diſperderet.

Priſ. Me tibi devinctiſſimum teneo: hoſce florenos accipe, à Generoſo viro ad me miſſos: accipe, inquam, in amoris pignus, & futuræ munificentiæ teſtem.

Grin. Iſta in me ſemper fidelem tui memoriam parient: In Clientulum tuum, quo nemo obſervantior nec integrior unquam fuerit, conſtantiſſimè me teneas.

Priſ. Nec me ingratum habueris. Frontiſterium nos vocat; te tuis relictum deferam.

Exit.

Grin Ha—ha—ha. Te tuum Frontiſterium teneat, & alat, aliter enim inopem te Scholarem experieris. Quid de hiſce fiet, parùm curo; modò noſtrum expleatur Marſupium, eâ laborent ſorte Philoſophi quâ nati. Ambidextri perſonam me acturum juvat. & profit.——Sed plures *Curates* audio; quàm ſuavi odore lucri capiuntur omnes!

Act.

Act. 4. *Scæna* 2.

Intrant Opilio & Prunella.

Opil. O Mi nitidula *Prunella*, quàm pulchrè tibi condecuit veſtis iſta? Certè ſi te à capite ad calcem inſpexeris (ut Scholaſtici dicunt) ingenuè mecum fateberis te Spectanti nunquam æquè fuiſſe amabilem.—À primo verè à nuptiali die te nunquam tam perditè dilexi.

Pru. Abi, aſſentator egregie: Non fauces ita obſtrues. Increbuit fama per totam hanc florentem Civitatem, quod mihi non parùm doloris impreſſit, te *Pocadillæ* togam dediſſe; ac ſi noſter tibi taltid oſus eſſet thorus: & mene hoc æquo paſſuram animo putas?

Op. Mitte, mi *Prunella*, haſce nugas: non dignæ ſunt corda o tuo pectore, nec ſagaci cerebro. Noſti quid nobis objeciſti, ego verò remittam omnia; vulnera de novo refricare non quæro, nec curo.

Pru. Apage; itane palmam arripies? Quid ſi per poſticam me ad *Cornelianas* deduci ædes dixero: hoc clanculum feci, te, imò, neſciente, feci: Per totam autem plateam ſonuit petulantia tua.

Op. Ut me dii amant, nunquam præter te aliam amavi.

Pru.

Pru. Si meretriciis amoribus te implicatum non ſuſpexeram, parum me commoveret levitas tua: Sed eligere *Pocadillam* in amicam, quæ mille thermis aſſueverit, & pejor ſemper redierit——ô infœlices nuptiæ! miſerum conjugium!

Grin. Quam ſubdolè agit cum Marito ſuo; novit ſe maximè fuiſſe conſciam, & ejuſdem criminis incuſat eum. Interpellare libet, quò lites conciliem.—Heus *Opilio*, miror te tam diu Hero meo abſentem fuiſſe. Non commodum ſpectas? Non tuorum curam habes?

Op. Unde iſta, *Grinchame?*

Grin. Nunc tandem poſt multa & ardua certamina, Naturæ debita ſolviturus eſt Herus.

Op. Quid hoc ad me? Suaſu Lemurum, aut quorum neſcio, Dæmonum, alios deſignavit in Executores ſuos.

Grin. Quis tibi deliranti hanc larvam obduxit? Crede mihi, (& fidē verè promereor) te ſingularitèr deoptavit, ad omnia recipienda, omnia reddenda. Sperat *Priſcianus* ſe cooptatum eſſe, hoc etiam ſperant famuli, inter quos ego ipſe, qui non peſſimè merui, ſed toto cœlo erramus omnes; hoc tibi imponitur penſum, nec minùs expectandum eſt præmium.

Op. A vertice capitis ad plantam pedis deauraberis, ſi verum narras.

Grin. *In nullius verba Magiſtri ſum juratus,* nec ullo pretio eò illectus, quo officium mentientem agerem. In uno complectar omnia. Tu cum totâ familiâ tuâ *Craſo* ditiores eritis: hoc unicum eſt votum meum, quod opibus vobis

vobis relictis utemini ſine faſtu & inferiorum contemptu : hoc unicè vereor ; affluentiam enim nimiam erga alios genuiſſe contemptú quis non novit ?

Opil. Ne hoc dubites.——Audiſne hoc mi *Prunella?* contractam frontem erige;nos cum omni progenie noſtra *Cæſares* erimus. Omnis *Cornelii* ſubſtantia, res mobiles & immobiles nobis traditæ ſunt.

Pru. Mobiles & immobiles! hem! Quis hoc effecerit? reticere juvat; ſed novi hoc à motu meo primò profeciſſe. Age,——ſi promiſeris me omnia adminiſtraturam, nec te in hiſce aliquid facturum eſſe ſine notitia vel conceſſione mea, de novo ſacrum amicitiæ fœdus contrahemus.

Opil. Tuum ſit omnibus præficere.

Pru. Atteſtetur *Grinchamus*, qui familiæ erit Præpoſitus, ſi auſpicatè evenerint omnia.

Grin. In omnibus promptiſſimum me invenies.

Op. Sed appropinquat morti *Cornelius* ?

Grin. Credite Clientulo veſtro ; nunc Oleum planè abſumitur. Neminem diſcernit ; loquendi facultatem penitus amiſit, anhelantem unicè ſpiritum emittit; & emittendus eſt illico, quò minùs redeat.

Pru. Diutiùs ſemimortuum eum ſuſtinuit *Neapolitanus* iſte *Peregrinus.*

Grin. Veriſſime;nunc autem manum ſubtrahit. Certè quamplurima protulit experimenta,nobis terræque noſtræ incognita, quæ longiùs protraxerunt filum vitæ languentis ſuæ. Sed defecerunt tandem omnia: irrita

ejus

ejus fiunt Medicamenta, & propriis ille relinquitur umbris.

Op. Seges & flos ſegetis; omnes ſumus mortales.—Sed unum à te peterem, in quo ſi mihi ſatisfeceris, amiciorem tibi neminem inveneris.

Grin. Quid hoc eſt?

Op. Ubinam claves theſauri?

Grin. Sub Pulvillo repoſitos vigilantiſſimè ſervat.

Pru. Nullane tibi techna eſt eos ſurripiendi, quo nobis omnia tutiùs ſerventur?

Grin. Nulla, certè nulla; ſemper oculum diſtortum habet ad Cervicale: multò facilius eſſet pervigilantibus iis Sororibus aurea ſubripere poma; quàm talem ſubire provinciam. Lupū auribus tenere noſtis periculoſum eſſe: ſed non eſt quòd ullus vos metus ingruat. Loculi, ciſtellæ, ſcrinia, omnia tutiore ſignata ſunt cuſtodiâ. Curæ referatur meæ, quo nihil auferatur.

Op. Fidelis es ſervus; & ſi vivo, compenſaberis. Vide autem, ſi me præſentem non conſpexeris, quod propedièm ut ſpiritum efflaverit, *Prunellæ* noſtræ tradantur claves.

Grin. Ne dubites; ſollicitè fiet.

Pru. Accipe hanc armillam auream in benevolentiæ noſtræ Sigillum: & pretioſiora reddentur, cum tempus venerit.

Grin. Deus benedicat vobis cum opibus Heri mei: Deſerite *Grinchumum*, quando in fidelitate ſua defecerit.

Act.

Act. 4. *Scena* 3.

Intrant currentes POCADILLA, TUBERCULA, CIATICA.

Poc NOn me præcurres *Tubercula*; novi *Ciaticam* eſſe tardi-pedem.

Tub. Primum nuncium referam, aut moriar.

Grin. Quò iſte præproperans famularum curſus?

Pru. Illa eſt *Pocadilla* tua!——Sed placantur iræ, aliter ungues efferrem.

Poc. Hera mea.

Tub. Hera mea.

Ciat. Hera mea.

Poc. Tardè venis; herì tu,nos hodie.

Pru. Quid vultis?

Poc. Uno conſenſu huc currimus, quò in ſervitium veſtrum admittamur. Hæres futura es Heri noſtri: Nunquam qui ampliùs fauces aperturus eſt ſuas.

Pru. Num mortuus?

Tub. Velut mortuus. Spirat, ſed ut *Buteo* in arundine.

Opil. O me fœlicem! *Grincbame*,parentur mihi atramentum, charta,libelli,ut in Synopſem redigantur omnia.

Grin.

Grin. Synopſem, Domine, in promptu habeo; ab aureo Cratere ad minimam Cochleam, æneam, cupream ſive latinam.

Opil. Latinam! an Cocleas habuerit Latinas? eas certè Scholaſticis ſervabimus.

Pru. Sed quid à me optatis Famulæ?

Poc. Ut prima ſim Ancilla in cubiculo tuo.

Pru. Tune *Pocadilla*? Heri potius cubiculo præponeris.

Tub. Me elige, mi hera.

Ciat. *Ciatucam* omnium maximè experieris conſtantem.

Pru. Secundum merita, ſingulis impertiar munera; Eò quæque mihi gratior, quò diligentior. Officiis veſtris incumbite, & me Heroïnam veſtram optimam, expertam habebitis.

Op. Et tu tuis *Grinchame* conſule.

Exeunt Opil. *&* Prun.

Grin. Ha—ha—ha—. tene latera; rumpentur ilia. Nunc ſe ſperat *Prunella* heram eſſe veſtram; *Opilio* herum. Ne dormient, donec omnia poſſederint.

Poc. Timebam valdè ne me cæderet *Prunella*, ſurreptæ togæ? ſuccenſa memoria; tranquillum vero induit vultum; tantoperè iſta placuere nova.

Tub.

Tub. Nova & grata nuntia ; ſed turbida fient omnia cum cardinem inverſum audierint.

Ciat. Sed quid de Didaſcalo ?

Grin. Priſciano! Lætatur ut Mus in caſeo, ſe ſolum Executorem ſpectat : ita enim illi perſuaſum habui. Quam brevi reſignaturus eſt Virgam, Ferulam, Fuſtem, omnia, ſi iſta ſuccedant proſperè.

Poc. Succedent certè ; ſed aureus deſluet imber in gremia noſtra : quomodo verò diſponetur negotium ?

Grin. Peregrinus iſte *Neapolitanus*, coëmptitius noſter eſt pretio. Nihil illi ignotum agendum eſt. Certiores nos faciet appropinquantis exitus, quo paratiores reperiamur, & ad ſubſtantiam Heri poſſidendam, & omnem ſuſpicandi occaſionem aliis tollendam.——ô quam opportunè venit !

Act.

Act. 4. *Scæna* 4.

Intrat PEREGRINUS.

Per. TAcitè, tacitè; peragantur omnia tacitè.
Emigrantem audietis illicò: artificiosè tamen egi cum eo. Quis tale ſuſpicetur omen! Herì in *Dolium* quò ſanetur immerſi, & hodie parandus eſt tumulo.

Grin. O peritia Profeſſoris verè miranda!

Per. Potui, fateor, Aranearum pulverem, Diamundi, vel Mercurii, ſeu notiſſimam eam Murum luem in potum immittere, ſed ſine ſuſpicione hoc probè fieri non potuit.

Om. Multo tutiorem elegeris viam.

Per. Plura imò referam; conſtantèr affirmare audeo, penès artem noſtram fuiſſe, incolumem eum reſtituere: at memini, verè memini, quod monuiſtis omnes; eum " benè rectéque eſſe diſpoſitum ad moriendum.
" Nec minùs quàm dubium, ſi mortis evitaret periculum, ſe dehinc nunquam tam benè futurum diſpoſitum.

" *Om.* Optimè meminiſti.

" *Per.* Quod ipſa etiam vita ſibi eſſet faſtidioſa, æquè ut toti familiæ ingrata.

Om. Nil verius.

Per. Iſta omnia cum naturæ ſuæ pertinaciâ, me commoverunt ad penſum peragendum

vobis

vobis gratum; mihi licet, ſi Medicis cognoſceretur, periculoſum valdè.

Grin. Tibi ſi *Sinon* non fueris, nos nunquam erimus.

Per. Si vobis commonſtravero, quàm ſuſpicioſus erat; arduum ſatis ac difficilem me diceretis ſuſcepiſſe provinciam. Nullam ſibi applicandam medicinam pateretur, potiunculam nullam hauriret, ni me prius eam deguſtantem viderat. Hinc judicate, quanta de vobis mihi cura fuit. Nunc autem extremam appropinquans eſt oram. De ſuis quomodo diſpoſuerit, optimè noſtis: Hoc unum ſcio, eum de Lemuribus maximè fuiſſe perplexum. Nec diu ſecum ſtatueret, cui fortunas transferret ſuas.

Grin. Nunc verò decreverit.

Per. Non certè ſcio; Bis puer eſt, ingenii ac judicii expers; ita ut in eo ſtatu quo nunc manet, facillimum eſſet ei perſuaſum habere, Æthiopem in hæredem conſtituere.

Om. Tantoperè delirat?

Per. Quod potui, feci. Memoriam diu integram ſervavi: ſed repentino timore correptus à conſpectu Lemurum, adhuc nunquam recuperare potuit quod perdidit.

Om. Nec recuperaturus.

Per. Ne hoc metuatis: Actum eſt ei de hâc vitâ. Si ſuprà hanc noctem viveret, mirarer valdè. Introite vos; certiores vos faciam in proximo congreſſu, quid decrevit, & quàm propè littus appulit.

Grin. Ipſe quamplurimos eluſos feci, qui omnes ab Hero commodum ſe accepturos ſperant: & iſti ædes noſtras repetent.

Per.

Per. *Opilionem* novi & *Priſcianum* illius opibus avidè inhiantes: incumbite remis; ego in omnibus vobis ſatisfecero. Valete.

Exeunt.

Quod arti compar fuit affabrè præſtiti,
Eluſos perfidos oſtendam famulos.
Cornelium interim ſoſpitem reddam.
Hoc *Æſculapio* placuit ſupremo;
Qui patientum lætatur curis
Pravorum vafras fruſtrando fraudes.
—Sed nunc *Cornelium* adeo, petentem
Hortenſes areas, ignotis famulis;
Obviare juvat, ne recidivo
Langueat morbo, frigore capto.

Act. 4. *Scena* 5.

Intrat CORNELIUS.

Cor. SIc per apricos ſpatiari locos
Gaudeat mentem relevare mœſtam.

Per. Quò te mœſtitia premit? nunc convaleſcis *Corneli.*

Cor. Non me tantoperè compreſſit dolor corporis,
Quo, gratias Cœlo artique tuæ, me liberatum ſentio,
Quam invalentia mentis vulnera, quæ intus perfero.

Per. Hiſce peritior adferet medelā manus.

Cor.

Cor. Adferet; ſpero quod opportunè adferet:
Nec in me deërit quo meliùs præſtet.

Per. Nunc quod ad te attinet; Salutem corporis, patrimonium pauperis, præſidium divitis, ſicut beneficio Cœli, naturæ, ſtudii ac peritiæ noſtræ comparaſti; tibi non minor incumbat cura diutiùs conſervandi, quod tam fæliciter & inſperatò acquiſiviſti: & eò magis gratum, quò minus ſperandum. Noſti, ſatis noſti, non minùs fuiſſe virtutis ſpecimen tueri parta quàm parare. Difficilius imò eſt, & ſemper fuit, parta tueri bona quàm parare: Quod, ut melius efficias, quæ iam proponenda tibi inſtituimus, quorum ope, valetudinem non ſolum tuearis, ſed indies fortiùs convaleſcas.

Cor. Proponantur; attentiorem neminem invenies.

Per. Octo ſunt (teſtante *Hippocrate*) quæ carnem humanam humidam pinguemque faciunt.

Primùm, lætari & Genio liberè indulgere; Secundum, multum dormire; Tertium, mollitèr diſcumbere; Quartum, opiparè paſci; Quintum, nitidè amiciri, & accommodari; Sextum, ſemper equo inſidere; Septimum, voluntati nil adverſum habere; Octavum, in theatralibus Ludis & Facetiis verſari, & in omnibus quæ ſolatium adferant & obſequium latiùs diſtendi. Quia autem iſta fælices ſuos proferre effectus non poterint, in talis eligatur *ſitus*, qui tēperaturæ corporis optimè cōpeterit. Plurima etiam à nobis ſunt adjicienda; paludi-

ludinoſæ cum iſtæ Sedes quam plurimas noxias qualitates generant, ab inſalubritate aëris, cujus intemperie iſti fatales non naſcuntur ſolùm ſed augentur humores. Quomodo autem optimi dignoſcendi ſint aëres, ſi interroges, audi quid Schola Salerni tradidit:

Lucidus & mundus ſit ritè habitabilis aër,
Infectus neque ſit, nec olens fœtore Cloacæ.

Hinc eſt, quod rariſſimè illius terræ Habitantes ad maturam pertingere ætatem conſpicimus, qui in Paluſtribus commorantur locis: Alii verò, qui Montana incolunt; aliiſque ſalubrioribus locis ſibi ſedes eligunt, vividi magis ſunt & alacres; laboris ac vigiliæ patientes; omnibus accommodatiſſimi exercitiis. Imò audivi de quadam Inſulâ in Septentrionali parte Hiberniæ conſitâ, quæ ob Cœli Solique æquiorem temperiem, Habitantes in ſe tam longævos habet, ut è terris emigrare nequeunt, donec removeantur à terris quas habitant.

Cor. Mira verè narras.

Per. Et credenda.——Sed hiſce non diutiùs inſiſtemus: iſta propoſuimus ut vias & gradus conſervandi ſalutem. Teque, qui in proprio ære tibi ſufficiens es, ut locum eligas, qui corpori & menti maximè convenerit, monitum eſſe vellem, nunquam Objectum Commodi beneficio ſalutis præferendum. Sapientis novi, *Via mentem, menti ſedem accommodare*; quod ad nos verò attinet, hoc nobis ſemper dulciſſimè arriſit:

Sit

Sit domus apta mihi, thalamo, famuloq; parentis
Competit ut Regi Regia, nidus Avi.

Novi adagia ea veriſſima eſſe; Dives qui eſt, pranſum eat quando voluerit, Pauper quando valuerit: & penes eos ſolummodo eſſe eligendi Sedes, qui rebus affluunt, nec ullis locis neceſſariò deſtinati ſunt. Et hujus conditionis tuipſe es, *Corneli*; nihil tibi defuerit præter Salutem, quam tandem auſpicato Sidere fœlicitèr nactus es.

Cor. Optimè mones; & gratiſſimè acquieſco monitis.

Per. Benefacies ſi acquieveris: aliter enim citò amittes quod acquiſiveris. Statuæ Mercurii in compitis & triviis, quæ certis indiciis perplexo viatori iter oſtendebant, erigi aſſuerunt: Statuas etiam vobis ereximus, quarum ope ad viam ſalutis reducemini, ſi errore ullo, (ſurrepente nimirum infirmitate) eritis compreſſi.

Cor. Mittantur iſta; Nemo ſaluti intentior, nec recuperanti gratior.

Dixiſti quædam nobis, ſi memineris, de famulis noſtris, quibus nullus major inceſſit metus, quàm reſtaurandæ noſtræ ſpes ſalutis.

Per. Verum eſt; nec alieni, in quorum calculo ego ipſe numerandus ſum, tantam ingratitudinem perferre quimus. Nil magis optant, nullam vocem gratiorem audiunt, quàm quòd extremum diem clauſit *Cornelius*.

Cor. O iniqui, perfidi & ingrati Famuli!

Per. Ne te iſta torqueant : gratulare potius, te diſcernendi rationem, ulciſcendi occaſionem habuiſſe.

Cor. Ulciſcar, certè, ut iis juſtum fuerit : Bonis nocet, qui malis parcit : æqua erit juſtitia punire perfidos ; nec crimen graviorem exegiſſe vindictam.

Per. Quid faciendum ſentis ?

Cor. In hâc Areâ & ſpatiari ac liberè loqui poſſumus, acſi *ſub Roſâ* ſederemus.

Per. Tutiſſimè. Omnes enim tè cogitant illicò moriturum ; Bona ſunt diſtribuentes ; Præpoſitos opibus tuis facientes ; emeritas imò tibi exequias ſunt parantes ; Non deërit funeri tuo Solenne illud Officium, quod expedierit: modò ſemel morieris.

Cor. Gratias habeo maximas Executoribus noſtris. Eorum maxima eſt cura pauperrimum hoc corpus meum terræ mandandi. Sed non diſſentiunt inter ſe circa cooptationem noſtram ?

Per. Minimè gentium. Tam conſultò res agitur, ut omnes expectant ſe cooptatos eſſe ad hoc præſtantiſſimum periſum, opulentiſſimum præſtandum officium.

Cor Quò tandem ?

Per. *Grinchamus* veſter, verè vafer & verſutus, ſuaſos habet *Opilionem* & *Priſcianum*, eos nominatos eſſe : hinc *Opilio Priſcianum*, *Priſcianus* eluſum cogitat *Opilionem*. Ex nimio cachinno exilirent certè lachrymæ, ſi introſpiceres *Prunellam* quàm nitidè ſe gerit ; quomodo Meretriculas tuas in Ancillas elegerit ; *Grinchamum* in familiæ præpoſitum fecerit :

Offi-

Officiales etiam omni loco proprios deſignaverit.

Cor. Impudiciſſima mulier! quid illæ familia mea? Roſtra ſtudioſè exerceat Conjux, donec meis præſederit fortunis.

Per. Sed *Grinchamus*, qui omnes ſubtilitate ſua deceptos ſentit, ſeipſum quomodo illudit? Se enim Executorem ſolum factum exiſtimat: Sic Pæanes ante victoriam Omnes canunt.

Cor. Et diu canant: Nænias poſt Pæanes. Coraces & Canes Creaturæ mites & amabiles ſunt, ſi hiſce comparentur feris.——Sed virgas in urina paratas habeo.——Nec mors mihi finiet iras.

Per. Ira mortalium debet eſſe mortalis

Cor. Aſſentio; vim tamen vi repellere; fraudẽ fraude; dolumque dolo procudere; nefas dicere, eſſet nefas. Dicis, neminem me convaleſcentem audiviſſe.

Per. Neminem.

Cor. Nec hiſce me perambulantem areis.

Per. Nequaquam.

Cor. Paraſti grabatum, in quo vix ſemivivus diſcubiturus ſum?

Per. Paratur; ſed oportet te egregiè diſſimulaturum.

Cor. Illud nobis relinquatur.——Quam avidè *Hirudines* iſtæ confluent? Civiles, Forenſes, Aulicæ; Cadaver ſubolent Cornices noſtræ.——*O quàm ægrè laborat*, dicent Famuli! *exceſſit*, *erupit*, *evaſit*, aſſeret ille Orator *Priſcianus*. *Fœnum*, *& flos fœni*, prædicabit *Opilio*; Obſtruet nares *Prunella*, & expirantem ſpectans, ſperans ſaltìm, clamabit, *ad terram*

ſuam rediit Cornelius, *proferantur claves, ut exhibitas poſſideamus opes.* Certè ex nimio riſu me periturum timeo.

Per. Cave verùm ne rideas.

Cor. Hoccine curas? Ne unum me momentum ulteriùs victurum jurabunt, qui ſpectant.

Per. Ingredere, ingredere; para te grabato, ut ego Viſitantes.

Cor. Paravero; & artificioſè me acturum omnia teſtaberis.

Exit.

Per. Quam levis requies reficit dolentes!
Quam levis Zephyrus temperat æſtus!
Cornelius gravi reviviſcens corpore,
Solatur ſuis nacta ſalute.
Ludit, illudit, famulis irridet
Perfidis, novas fabricat artes.
Languentis ſpeciem fingit honeſtam,
Morbidi corporis vividam teſtem:
Sic fucos *Fucis* præparat irritis,
Quò captet mentes fœnore cœcas:
Nec ei deëro optimis officiis
Quo malè ſuis pereant inſidiis.

Act.

Act. 4. *Scena* 6.

Intrat SYRINGIUS.

Syr. HEus *Peregrine* ! Cantharidum egregius Profeſſor.

Per. Diſcede in pace, ne Lemures te terreant.

Syr. Non diſcedam; reſponde quid legiſti ?

Per. Plura quàm memini.

Syr. Sed tene *Syringio* comparandum putas ?

Per. In ignorantia nequaquam puto.

Syr. In ignorantia ! hem. Quot Auctores legiſti ?

Per. Pauperis eſt numerare pecus: Sub calculo paucæ Lectiones tuæ reduci poſſunt, meæ non poſſunt.

Syr. Meæ non poſſunt ! Age, *Neapolitanus* es *Thraſo*.

Legendo me nunquam vincere poteris.

Per. A *Suſpendio* fortaſſe meliùs te ſerves.

Syr. Mene laqueo dignum ſentis ?

Per. Quid ni !

Si laqueo dignum aliquid perpetraveris.

Syr. Imò potius in teipſo reſpice funem: occidiſti *Cornelium* venenatis Pharmacis tuis: & ſi *Collegium Doctorum* te deprehenſum minùs viderint, peſte plures quàm brevi ſpatio in-

interficies. Et quod peſſimum eſt, ſine lectione perimes.

Per. Infelix eſt Scientia quæ omnes perdere, paucos juvare nata eſt : & talis tua eſt.

Syr. Papæ ! Non erubeſcis ? Ego incolumem *Cornelium* penè reſtitueram ; & nunc fatalis manus tua omnem artem meam perdidit.

Per. Age ; reſpondendum eſt mihi , ſi in diſcrimen vitæ aliquid objiciatur.

Syr. Suſpendium certè, ſi tale aliquid contigerit, patieris ſine lachrymis.

Per. Nec quæram.

Syr. Miſereor tamen; quid tibi in mentem venerit, illud in praxim redigere, quod ſterilitas lectionis tuæ nunquam noverat ?

Per. Penuria, penuria, quâ tu *Syringie*, & omnes pene profeſſionis noſtræ Empyricæ, laboramus.

Syr. Mene Empyricum credis ? Audi , ego legi *Galenum* in Anglicana linguâ , *Albertum Magnum* in Octavo, in eadem linguâ ; *Hippocratem*, *Dioſcoridem*, *Antonium Muſam*, & Faſciculum Autorum, & quod de memoria mea penitus evolaſſet, *Gerardi Herbarium* nova Editione adauctum, variiſque florum figuris illuſtratum;quæ omnia in *Anatis Vico*, volumine uno, complexa, fælicitèr coëmi.

Per. In volumine uno ! quo tandem,Decimo ſexto ?

Syr. Reſponde, ſi paratum habes , an æquè te numeroſum ſentis in Autoribus ?

Per. Abſcede Lectiſſime Aſelle , & opportunè, ni curſum abrumpant Lemures. Ca-

ve, prudentèr cave, ſonitum audio compedum & catenarum; impunè ſi evades, fuge, præproperè fuge.

Sonitus compedum intus.

Syr. Fugiam, ſed te perſequar, vel invitis Spectris tuis.

Exit.

Per. Ha——ha——ha——quam facilè illuditur!

Nunc redeundum eſt mihi ad Patientem ſimulatè ægrum; Ut omnia in promptu ſint, cum ſitientes ejus *Hæredes*, *Hirudines* pene dicerem, ad inviſendum eum venerint.

Detegitur Cornelius, *in grabato decumbens.*

Cor. Optimè, optimè; ego intus ſonitum feci, & tu ſonitu *Syringium* perpulchrè eluſiſti. ——Sed audi, quis pulſat?

Act. 4. *Scæna* 7.

Intrat PRISCIANUS.

Priſ. DIes eſt iſte Jovis, & mihi erit jovialis dies, ſi modò ſecundè omnia ſuccederint, ut ſe offerunt.——at opportunè video amiciſſimum meum *Peregrinum* ante portam Cubiculi triſtiùs quàm ſolitum ambulantem. Quid novi mi *Peregrine?*

Per. De novo tibi proſperè ſuccedunt omnia.

Priſ. Exceſſit, erupit, evaſit?

Per. Prope portum appulit, nec quicquam ſentit, nec audit. Ingredere, ſi placeat, & videas. Sæpiùs te nominat quàm omnes alios. ——*Corneli,*——Domine *Corneli.*——vix me audire poterit; ——venit huc dilectiſſimus amicus tuus *Priſcianus* ad te viſitandum.

Cor. Priſcianus——*Priſcianus*! Hæres eſt meus, Hæres eſt meus.

Priſ. O diem fauſtum! Quid vis me agere gratiâ tui?

Cor Quod ſuum cuiq; re eſt, tribuas, reſiduum ſerves.——& audi, parcus eſto in funera mea celebrando, quò ditior fias.

Per. Quanta de te illius ſemper fuit cura? Vix unum verbum aliis proferet; ne ei ſis moleſtior, audiſti quid decreverit: hoc ſolum à te poſtulo, ut Medicus efficiar tuus, in hoc fortunæ diluvium cum incideris.

Priſ. Fiet, modò ſaluti cautè provideas.

Exit.

Cor. Abiit?

Per. Exceſſit, erupit.

Cor. Erige me pauliſper; præ gaudio in lachrymas reſolvi cogor.

Quàm ſimplex eſt iſtud Hetrocliton, ſperare me ſibi omnia relicturum! Nec affinis mihi nec conſanguineus eſt; quid denique à me promeritus eſt? Spuriam fortaſſe propaginem meam ad eum educandum miſi. Penſum tamen ſolvi, nihil debui.

Per. Facilè plerique credunt quod cupiunt.

Cor. St——St,——quinam illi? undique confluunt.

Act. 4. *Scæna* 8.

I*ntrant* OPILTO & PRUNELLA.

Pru. AUdi, ſed tacitè, ne audiant famuli, ——liberè deſignaſti mihi omnia?

Op. Omnia.

Pru. Cornelianam domum, theſaurum, utenſilia, omnia?

Op. Omnia.

Pru. Appropinquemus——*Peregrine,* quomodo *Cornelius* ſe habet ?

Per. Vix locum in terram habet.

Op. *Fœnum, & flos fœni ; omnes mortales ſumus.*

Pru. *Ad terram ſuam rediit* Cornelius ! *proferantur claves, ut exhibitas poſſideamus opes.*

Per. Tardè & tutè. Non dico eum planè mortuum, ſed illicò moriturum : —intrate, obſecro, & cadaver ægrè ſpirans contuemini.

Pru. Phi-phi-qualem emittit fœtorem putida illius caro ?

Per. *Corneli*, *Corneli*, aliquantulum expergiſcere, & viſitantes proſpice.———Surdus ut lapis, mutus ut piſcis.——*Corneli*, *Corneli*, venerunt huc *Opilio* cum *Prunella* ſua.

Cor. Reverende vir *Opilio* cum conjuge optima; valete ambo, & poſſidete mea.

Op. Accipimus libentèr ; Utamur probè, ut liberè exhibes.

Pru. Num aliquid eduli hodiè ſumpſerit ?

Per. Nequaquam. Egerit ut accipit ; nil deglutire valet.

Pru. Ego autem Electuarium domi repoſitum habeo, quod apertioni pulmonum probatiſſimum dicunt : quid ſi ei paravero ?

Per. Ne paraveris ; quæ illi miniſtraveris perdita ſunt omnia.—Novi quid intendis ; opportunè fiet : ultra duas horas ſi vixerit, mira narrat. [*tacitè.*]

Op. Noli diffidere, noli diffidere, *Corneli* ; leva cor tuum ad cœlum, nobis relinquendo terram,

Per.

Per. Quo iſta?

Op. Stabilis eſto, mi frater, in fide. Redde Deo animam, nobis ſubſtantiam.

Per. Ne gravior tibi fueris, illi inutilis: iſta debilem parùm movent; Nec aurem, nec mentem monitis paratas habet.

Op. Num ſurdaſter?

Per. Ut Canis, reverende Paſtor: Mortuo prædicas; nihil intelligit.

Op. *O fœnum, & flos fœni!* paranda eſt nobis funebris Oratio; in quâ tanti Patroni beneficentiam ad ſidera uſque evehendam nitemur.

Per. Tam gratum officium bene-merenti præſtare, tua maxima laus eſt.

Op. Vale, vale, claves reminiſcere; nobis Cuſtos eſto, ut nos tibi Satellites.

Exeunt.

Cor. Ha-ha-ha-ô quàm placidè nobis arrident iſta, *Peregrine?* tene fibras, pulmones, ilia, ſecùs dirumpar.

Per. Audiſtine quàm præſtantèr egit cum Marito ſuo *Prunella*!

Cor. Maximè, maximè; dedit & conceſſit eæ *Opilio*, *Cornelianam* domum, theſaurum, utenſilia, omnia.

Per. Quàm importunè perquiſivit Claves!

Cor. O Claves, *Corneliane* Claves, quàm gratum præberetis aſpectum Sacellanis noſtris!

Per. Nitidula certè Clerica eſt *Prunella.*

Cor. Quò minus? *Phi, phi, qualem emittit fœtorem putida illim caro!*

Per. Electuarium verò in promptu habet.

Cor. Probatiſſimum.

Per. Et tibi miniſtraret.

Cor. Venenum, ſi impunè poſſet.

Per. Tunc de Scriniolo tenuioris cerebri ſui, Electuaria ſua elicuit *Opilio.*

Cor. Crambæis ferculis, plumbeis ejus monitis aures percellit.

Per. *Noli diffidere, noli diffidere*, Corneli.

Cor. *Leva cor tuum ad cœlum, nobis relinquendo terram.*

Per. *Stabilis eſto, mi frater, in fide; Redde Deo animam, nobis ſubſtantiam.*

Cor. Pia certè monita, & obſequenda.

Per. Funebrem etiam Orationem tibi paraturus eſt.

Cor.——Ab Eloquentiæ aureo flumine deprompt am.

Per. Sed multum adhuc deëſt Scænæ integrioris hujus gaudii; audio famulos inter ſe digladiantes: intus manent, exitium avidè expectantes; nec lento pede properant.

Actus

Act. 4. *Scæna* 9.

Intrant GRINCHAMUS, POCADILLA, TUBERCULA, CIATICA.

——MOrientem finge—optimè, optimè.

In Grabato anhelantèr decumbit.

——O Famulos, infælices Famulos, talem amiſiſſe Dominum!

Om. Mortuus eſt? Mortuus eſt?

Per. Tangite, tangite; Pallent ora, rigent membra; imminentem ruinam minitantur omnia.

Poc. Certe credebam eum hoc die moriturum;
Spaſma in Pollice ſenſi.

Tub. Et ego pulicem in auriculo reperi.

Ciat. Ego autem burſam florenis oppletam ſomniavi.

Grin. Parum curo, quid iſtæ ſomniant mulierculæ;
Me vigilantem Heri Hæredem deprehendo.

Per. Vobis una impoſita eſt cura exequias parandi:

Dives

Dives erat & opibus ſatur; à tali multa ſcitis expectata.

Grin. Quem ſibi locum ſepulturæ elegerit?

Per. Prope *Margitis* tumbam.

Grin. Pari fuerunt conſortio viventes, & in uno condendi tumulo morientes.

Per. Noſtine *Margitem* eum?

Grin. Nimis novi; Per totum Orbem nil infructuoſius inveniri poterit. Aliorum laboribus (*Fuci* inſtar) viveret; in obitum uſque nil boni unquam fecerit: prædives tamen moriebatur, ſiccis deflentibus oculis.

Per. In illo certè Herum repræſentaſti tuum.

Grin. Dixiſti. Neminem credo eos ſuperare poſſe in nequitiâ.—non me audit?

Per. Æquè me audit ut te. Perge, clauſit feneſtras Officinæ ſuæ.

Grin.—— Illicò Convivium paraturus eſt vermibus; eloquere. Famulus illius diutiùs fui, infami igitur vitæ optimè notus. In nihilo prægnans niſi malo; Meretriculas haſce, poſtquam ad omnem licentiam eas allexerat, ne nudas tegeret; ſpuriæ etiam proli ab eis partæ vix provideret.

Per. Quanta fuit iſta immanitas?

Grin. Per fas nefaſve, aliis extorqueret ſua. Occaſio lucrandi de re qualibet non ſibi citiùs offerebatur, quam avidè eam arriperet; quâ arreptâ, quàm miſerè exigeret?

Per. O hominum prodigium!

Poc. Certè nobis parum attulit præter infamiam.

Cist.

Ciat. Imò magis; infirmitatem.

Tub. E lectulis ægrè ſurgere valemus ſine adminiculis.

Per. Iſta noſtræ relinquantur curæ: Paucis vos moneo.

Nunc præmia nacturi ſunt omnes gravioris ſervitii.

Moritur Herus, & ab ejus aureo pulvere dives efficitur Servus. Sed melius, multò melius foret, quod ſemper pauperes eſſetis quàm opibus tam munificè vobis exhibitis abuti.

" Paupertas mentibus bonis eſſe ſolet cuſtos humilitatis.

Difficile autem eſt, quod qui dives eſt, non ſuperbus eſſet: & ſi exteriùs minùs ſuperbus, parùm reſtat ſi interiùs inflatus; Illi enim facillimè acquievimus ſemper:

" Elatio interior periculoſior eſt quam exterior ſuperbia.

Grin. Uti par erit, noſipſos geremus: una omnium erit familia; Subſtantia una: *Platonici Amatores* erimus omnes: modò iſtæ Ancillæ benè de me mereantur.

Poc. Obſervantiſſimæ erimus *Grinchamo*, modò ſeſe non habeat nimis inſolentèr.

Per. Intereà, quo negligentiæ minus incuſemini, in promptu ſint omnia tanto funeri deſervientia. Orationem ejus funebrem paraturus eſt *Opilio*; illi enim ſe devinctiſſimum tenet.

Grin. Perſuaſum ſe habet neminem in Executorem adoptatum eſſe præter ſeipſum.

Per. Hoc etiam expectat *Priſcianus*, ſed in eodem tramite errat; vobis ſolùm, tanta

ſervata eſt fortuna: & proſperè utemini.

Grin. Finitâ Oratione, expectat mercedem *Opilio.*

Per. Avaritia ejus quiddam fortaſſe appetet, ſed quis reddet? Quod faciet, Alumno, Patrono (quid dicam?) Patri optimo ſe feciſſe credit; & quis Hæredi undique tam affluenti quicquid dilargiri præſumet?——Satagite, parate.

Grin. Fiet, ne timeas; Tua ſit cura, mi *Pocadilla*, de clavibus; tua, mi *Tubercula*, de ciſtis & loculis; tua, oh *Ciatica*, de chartis & ſyngraphis; *Grinchami* erit cura de omnibus.

Exeunt.

Cor. Ha——ha——ha. deſine tandem, 'mi *Peregrine*,——cœlitus miſſe, ne contineam me à *Sardonio riſu*: eneces ſi non minùs deſines.

Per. Depinxerunt te ad vitam, *egregium Nebulonem.*

Cor. Morientem licet, talem me iſti invenient.——ha——ha——ha.

Per. Valdè ſoliciti ſunt de *Sepulturâ* tuâ.

Cor. Et pulchrè finxiſti.——ha——ha——ha.

Per. Optimè eos monui, ne *ſuperbirent.*

Cor. Tot *fortunis affluere*, & non *ſuperbire*; nimis difficile. ha——ha——ha.

Per.——Sed labor in fine eſt.——Coronis operis, corona Meſſoris. Comminiſcere aliquid, quo ſuſceptis gratior emineat exitus.

Cor. Excogitatur ſatis. De morte meâ undique

dique ſparſa ſit fama : quod ut credibile magis fiat, mandetur corpus terræ.

Per. Sepelieris ?

Cor. Fiet; non ſine magno, licet, periculo ; ſi reſpirandi locus detur in Ciſtâ.

Per. Ne illud cures; hoc ipſe efficiam; quò autem, iſta tendit ſepultura ?

Cor. Unâ mecum in hac ciſtellâ ingentem theſauri molem reconditam eſſe, ſpargetur fama : Si minùs evenerit quod ſpecto, de novo immergatur *Cornelius* in *Dolio*.

Finis Actus quarti.

Actus quintus. Scæna prima.

OPILIO, PRUNELLA, PEREGRINUS, GRINCHAMUS, POCADILLA, TUBERCULA, CIATICA,

Funebres flores & vittas gerentes.

OPIL.

PArentur omnia; quo citiùs celebrētur funera. *Fœnum*, & *flos fœni*; omnes mortales ſumus.
—ô oves & boves & cætera pecora campi! Famuli & Famulæ; Servi & Ancillæ, & reliqua Familiæ utenſilia, Salvete omnia.

Grin.

Grin. E memoriâ tuâ nunquam elabatur *Grinchamus* veſter.

Opil. Nebulo licet ſit nequiſſimus, in Diſpenſatorem tamen eligam; debita alitèr colligere non potero. [*tacitè.*]

Age *Grinchame*! Crucem ſæpiùs meruiſti, Claves tamen geres; Eſto fidelis, alitèr conjurabo Manes, quò te die noctuque crucient, nequitiam in publicum proferant, & laqueo, parata mente & manu, adjudicent.

Grin. Ne timeas; novi quò probitas ſpectat.

Poc. O Domina, ne immemor noſtrûm eſſes; derelictæ ſumus, nec à defuncto Hero quicquam accepimus præter attritas veſtes, pallidos vultus, morbidas mentes; diſceſſit, & omni inopiæ nos famulas ſuas expoſuit.

Pru. Invita licet, accipiam. Quoad conditio veſtra promerebitur, propriis locis eritis deputatæ. Meretricias omnes artes ſatis ſuperque iſtæ callent; ceruſſatas facies, criſpatas crines, fimbriatas veſtes, & procaces amplexus optimè ſapiunt. [*tacitè.*]

In hiſce me erudient, quo juvenili ardori noſtro meliùs inſerviant. Nil nobis deërit, quod mollitiem carnis lautiùs expleat.

Act.

Act. 5. *Scæna* 2.

Intrat PRISCIANUS.

Priſ. —O Scalpellum, calami, atramentum, charta, libelli! Heus *Grinchame*, furcifer, inferni claviger! Decepiſti me nefarie.

Grin. Hiſt! ſi ſapias, ſileas; ni ſponte pereas. Nemo te decipiet, ni te perperàm decipias. Armenta, jumenta, ingentia auri & argenti pondera, tibi tuiſque parata ſunt omnia.

Priſ. Proh Deus atque hominum fidem! Si vera ſint quæ narras, à capite ad calcem deauraberis.

Grin. Crede *Grinchamo* tuo, inter vernas, aſſeclas, pediſſequos tuos, infimo.

Priſ. Omnia benè; omnia benè: hoc parum ſentit *Opilio*.

Grin. Nec ſentiet; ſe patienter eluſum permittit.

Opil. O mi literatiſſime *Priſciane*, quid agitur in ludo literario?

Priſ. De tuo ſtudetur commodo. Tibi tuiſque proſperè afflent æthera. Omnia tibi ſecundè eveniunt: Nos cum *Virga* & *Ferula* nudi ad mundum mittimur.

Op. Abſit quod ita tibi fiat, mi *Priſciane*; Tibi relictum eſt in puerorum *poſteriora* lectionem peragere; penſionem liberam, quando veniet, ut tardè ſatis veniet, colligere: ſin

iſta parum placuerint;in Sacellanum noſtrum, de Ordine Prædicatorum, deligere te inſtituimus.

Priſ. Munificus ſemper fuiſti *Mecænas Pernaſſidum* famulis.

Op. Publica Gymnaſia,Reipublicæ Gazophylacia novimus.Primam vos ſementem mittitis; iſta mecum trutino, & compenſare cupio.

Curam habui, quod iſta ritè parentur funera; primùm, ut propinquis, cognatis & affinibus lugubres comparentur veſtes; inter quos tibi etiam paratur toga.

Priſ. Benè meminiſti; valdè opus habet *Priſcianus.*

Op. Ego etiam in *Publicis roſtris* funebrem Orationem eſſem enarraturus, in defuncti *Cornelii* memoriam, & benevolentiæ ſuæ erga nos teſtimonium: retulit verò nobis iſte Medicus ejus *Peregrinus*, quod inhibuit talia de eo narrari præconia: ita ut illud præſtitimus penſum priuſquam incepimus. Quod ſecundum mentem reverâ contigit: ego enim (tibi ingenuè reddam omnia) nec paratus eram ad talem provinciam obeundam, nec in corpore agilis ſatis ad præſtandam; gravi enim laboramus tuſſi, quæ talem nobis raucedinem attulit, ut obaudire me non poterint qui propius aſtiterint. Et bene mihi fuerit, quod non audiverint.

Priſ. Qu nam ille,qui ſuavi tam concentu, omni ſine ſenſu ſuper defunctorum oſſa, gremio terræ dormitantia modulatur?

Op. Veſpilo eſt, *Cornelii* ſepulchrum condens;

dens; appropinquemus paululum, quo audiamus.

Veſpilonis ſepulchrum facientis Cant.

Vt pulverem & oſſa eruit, canit.

QVis tam dives, cui datur
Vt à Fatis eximatur?
Iſte pauper, ille dives,
Ille mortuus, iſte vivus;
Canis vivens, mi Antoni,
Mortuo melior eſt Leone.

In hac urnâ ſunt complexus
Utrinſque ſtatus, ſexus.
Phariſæus, Publicanus,
Idumæus, Puritanus,
Legiſlator & Clientes,
Huc ſunt omnes confluentes, &c.

Priſ. Lepidiſſimus certè artifex! Heus bone vir; cui ſepulchrum hoc ſtruis?

Veſp. Illi ſtruo, qui erat quod non eſt, & eſt quod non erat, nec in futurum erit. Noſtis *Cornelium* iſtum, qui vivens viventium fœtuit memoriæ, moriens gelidæ fœtuit urnæ.

Op. Si tantoperè fœtuit vivens, qualem emit-

mittet fœtorem moriens? illicò, illicò mandetur terræ: ni inſepultus gentes inficiat.— auſcultare pauliſper, vir Sepulchralis; Intende officio; perage quod ſuſcepiſti: & accipe à me Solidum, in pignus amoris mei, in arrham laboris tui: optimè à me promereberis, ſi Sepulchrum iſtud *Cornelianum* ſolito profundius feceris: alitèr Anthema *de profundis* cantare non poſſumus.

Veſpil. Iſtud mihi detur negotii. Ne timeas eum reſurrecturum eſſe; ſi moles terræ, vel profunditas putei eum deprimere poterint.

Secedit *Veſpilo.*

Op. Sequimini me vos comites *Corneliani* hujus funeris; nobis, ut par eſt, ſumptus ſepulturæ relinquitur: Si aliquid tantæ ſolennitati defuerit; veſtrum eſt evocare, noſtrum complere.

Pru. Paretur nobis Sedile, vulgò *Sedand*; Sericeo decoretur pulvillo; perſpectivo tranſpareat vitro; quatuor aſſeclarum ſtipetur conſortio. *Prunella* non ea eſt *Prunella*, quæ ſemel fuit.—Attendite, mi Ancillæ; & tu *Pocadilla*, quia moribus Curiæ maximè nota, caudam togæ ſublevabis; nec parùm læteris; quæ tali officio præponeris.

Om. In omnibus morigeras nos invenies.

Exeunt. Manente Pereg.

Per. O quàm libentèr ſeſe ſinunt decipi! Omnes *Cornelii* opibus avidè inhiant.

Se

Se hæredem eſſe credit unicum *Opilio* ;
Hoc *Priſcianus* putat : nec minus famuli.
At errant Omnes : Vulpem ſuboleant
Terris verſatilem : Sepeliri mandat
Ingenti clauſa mole theſauri.
Hoc ſe præſtare ſine periculo
Ipſe vix novi; quo tamen melius
Probaret ſuos, urnam ingreditur
Vividum funus : quid hinc eveniet
Si tutus exeat, tempus aperiet.

Act. 5. *Scæna* 3.

Intrat GRINCHAMUS.

Grin. TOtus *Democritus* fio. Nunquam talia celebranda ſunt funera. Parcite lumbis mi præcordia. Totus reſolutus ſum in lachrymas, profuſiore riſu victus.

Per. Quò ſpectant iſta ?

Grin. Mortuus & ſepultus eſt *Cornelius*, cujus hæres efficietur *Grinchamus* Claves nos gerimus; hâc theſaurus petitur viâ. Loculos poſſideant *Opilio*, *Priſcianus* ; & impunè teneant : modò *Grinchamus* clanculùm eos exhauriat. Poſt *calceos mortuorum* ſperent ac ſuſpirent iſti; ne mica æris relinquetur in ciſtâ.

——Quàm lepidè verò prodeunt lenocinantes noſtri Comites ! Iſti etiam apertis naribus aliquid lucri odorarunt. Obaudire juvat, obedire etiam ſi placuerit.

Act.

Act. 5. *Scæna* 4.

Intrant Pocadilla, Tubercula, Ciatica, Lurcanio, Latrunculus.

Chorus mixtus viris & fæminis conſtans, alternis vicibus & vocibus emodulatus.

Cant.

F*Uncto* Cornelio *lætantur omnes,*
Nocte per plateas errant inſomnes.
Tabernas petimus, pellices quærimus,
Defuncti loculis divites erimus.
Mortui miſeri funere victi,
Hæredes opibus ſumus relicti.

Molles componite lectulos fæminæ,
Quos petituri cognito nemine,

Mille nos baſiis blandè recipite,
Cornelii *gazas citò ſurripite.*
" *Clanculum, clanculum, nox cæca pergit,*
" *Neſcit* Cornelius *quis opes ſpargit.*

Fæm. Hâc nocte. *Lurc.* & *Latr.* Ne una deferetur hora.

Grin. Prædam ſuboleo.

Per. Unius fœtus vulpeculæ omnes.

Fæm. Peragite penſum, & noſtros amores habebitis in præmium.

Lurc. Quid ulterius quæritis? Sub ſilentio noctis in fanum irruemus, ciſtam in quâ conditus eſt vi vel arte aperiemus.

Fæm. Agite; & redeuntes nos amplexemini.

Latr. Manes, Lemures & Larvæ omnes, ſi uno convenirent cœtu, unâ contenderent manu, à cœptis Latrunculum non dimoverent.

Poc. Manè nos invenietis ad Inſigne *Nudi hominis*, in platea *Laſciviana*: properate, & proſperè ſuccedite.

Lurc. & *Lat.* Comperto auro, locum non omittemus.

Exeunt.

Act.

Act. 5. Scæna 5.

Grin. HEus famulæ, perditæ, proditæ!

Pet. Quò iſta *Grinchame?*

Grin. Quò iſta, interrogatis: ô Sacrilegæ? vel efficite me participem ſacræ illius prædæ, aut detegentur omnia.

Om. Libentiſſimè in Conſortem accipiemus.

Grin. Bene vobis erit, ſi hoc præſtiteritis.

Ciat. Quid minus? Noſne aliquid ſuccepturi ſumus, neſciente *Grinchamo?*

Tub. Mecaſtòr ex animo fuit, tibi enarrare omnia, priuſquam aliquid ageretur.

Grin. Facilè credimus. Diſcedite interim, dum me ad res novas moliendas, novos cuneos excudendos aliis paravero. Hâc nocte, funebribus ceremoniis ritè peractis, in uno conveniemus Sympoſio.

Om. Nihil nobis omninò gratius.

Exeunt.

Act. 5. Scæna 6.

Pet. NEbulonum plena ſunt omnia; ne Sacris parcent, quò opes colligant, prodigè ſpargant.

Grin. O mi *Grinchame*, ſi tibi non proximus eſſes, imò, ſi alius quàm tu mihi eſſes, minùs quàm amare non poteram; quanto acumine, quàm clara judicii indagine, ingenii acie polles? quàm vafrè laqueos incautis texis? Age, & profice: Si tu dives non fueris, quis unquam ſe expectet futurum eſſe divitem?

Per. O ineptule *Narciſſe*, quantopere de te ipſo gloriaris?—ſubtili huic cerebro me in Comitem adjungam.—— ô *Grinchame*, quàm lepidè, verſutè dicerem, te geris in hoc negotio!

Grin. Obſervaſti *Opilionem*, *Priſcianum*, *Prunellam*, totamque penè familiam eluſos?

Per. Vidi & ridi.

Grin. *Opilio* noſter Vicariam ſprevit; Glebam pro nihilo demiſit; Muſæolum clauſit; nulli libro operam dabit; nulli operi oculos aperiet, niſi *Maronis Georgico* & *Marcello*. Paſcua, Prata, Pecora, theologica ſunt ejus Apothegmata.

Per. Quid autem *Priſcianus*?

Grin. Reliquit Scholam; concremavit virgulam & ferulam; coëmit currum; & in parietem *Gymnaſii* hoc inſcripſit Eulogium:

" *Unius finis, alterius principium.*

Per. Perpulchrum adagium! Quid de *Prunella*?

Grin. Quid de ea audires! Lugubrem veſtem ægrè indueret, peplis, & fimbriis nitidè ſplendet; omnibus hoſpitium præbet; toti familiæ præſidet; Ancillis inſolito faſtu imperat;

perat; erga infimas ſuperciliosâ fronte ſe gerit.

Per. Et iſta omnia à cerebro provenerunt tuo.

Grin. Ingenuè fateor, me haſce ſtruxiſſe technas. Nunc ſupereſt, quod Inventarium omnium Mobilium & Immobilium ſuppoſitio iſti Hæredi *Opilioni* noſtro paremus; hoc enim à nobis diutius expectavit, nec ſe lectum ire juravit, donec acceperit.

Per. Tuum eſt ad amuſſim rationem reddere.

Grin. A Fele ad Taurum, à Lebete ad ingentem aureum Craterem per tot ſeries temporum hæredibus *Cornelianæ* Familiæ relictum. Nihil omittetur, quo fortunas, Chymeras penè dicerem, intentiùs admiretur.

Act. 5. *Scæna* 7.

Intrant OPILIO *&* PRUNELLA.

Pru. DEus bone! nunquam ibis ad Lectum? *Opil.* Nondum paratus ſum, mi *Prunella.*

Pru. Certè te vix unquam ſatis paratum inveni. Frigidus es naturæ: Repudium mehercule quæram, ſi alacriorem te non geras. —Nunc me fortuna laceſſit.

Opil. Iſta verò me premit. Multæ iis impendent curæ, qui multa poſſident. *Grimbamum* expecto una cum Inventario omnium bonorum & catallorum meorum.

Pru. Meorum imò; ni *Cornelium* proprio ſinu lactaſſem; baſiis demulſiſſem; & plura etiam promiſiſſem, in talem nunquam attigeras hæreditatem.

Opil. Tace precor; ſpectabilem formam tuam, verè fateor, mihi fuiſſe utiliorem, omni noſtra facundia: accipe libentèr omnia; mobilia, immobilia.

Pru. Nequaquam; mihi *mobilia*; tibi *immobilia.*

Per. Quantis inſudant litibus, circa res alienas!

Grin. Obviam ibo.—Hic compoſui *Reverentiæ veſtræ*, Inventarium omnium bonorum Heri defuncti mei, paſcentium, recumbentium, pendentium, quomodocunque ad eum Spectantium, & nunc tibi jure hæreditario redeuntium.

Opil. Benefeciſti; æquè ut par eſt, compenſaberis: Interim, hoc tibi imponetur officium, ut Portas ſummâ curâ & cuſtodiâ clauſas ſerves; Loculos, pluteos & Ciſtas intactas cuſtodias; nullos peregrinos in lares noſtras admittas; Oſtiolum verò Horti præſertim tueberis: intra fines enim illius areæ, multum latet quod non patet.

Grin. Diſpandet omnia.

Opil. Proximo mane, antequam *Caſſita* petet æthera, rationem à te capiam omnium ſyngrapharum, cautionum, & nummorum in

arcâ,

arcâ, quibus colligam quantum habuit & fidei.—Nunc mi Melleolum, pergamus ad lectum, quo citiùs ſurgamus ad fortunam.

Pru. E lecto ſurgas, in lecto nunquam ſurges, ſufficientèr novi.

Exeunt.

Grin. Ha-ha-ha. Quid *Opilioni* deeſt? Nocte *Prunellam*, die fortunam poſſidet. Quàm miſerè ſe cruciant, qui mundo inhiant? Multa noſtris impoſita ſunt humeris; leniore igitur utendum eſt requie, ni in Ora deficiamus.

Per. Et nos ſequemur: multa adhuc in herbâ ſunt, quæ brevi tempore matureſcunt.

Exeunt.

Act. 5. *Scena* 8.

LURCANIO, & LATRUNCULUS, *cœcutientes laternas in manu gerentes.*

Lurc. UBi es *Latruncule?*

Lat. Adſum *Lurcanio*; ne cortex arbori arctiùs hærebit. Nunc Fanum intravimus, perquiramus Ciſtam.

Lurc. Propè *Theomantii* porticum, conditus fuit.

Latr. Eò dirigamus curſum; liqueſcunt nunc dentes ad aurum.

Lurc. Nunquam audiſti Manes in hiſce Laribus ambulantes?

Latr. Nunquam; nunquam: aniles ſunt fabulæ: præſtemus cœptum. Primùm removeantur lapides quæ Ciſtam tegunt: quâ recluſâ, & erepto theſauro, nobis dulcitèr arriſura eſt fortuna.

Lapide remoto, & recluſâ Ciſtâ, ſuper pedes ſe erigit Cornelius.

Lurc. Ut me dii amant, reſurgunt mortui.

Latr. Spectrum, ſpectrum, ſpectrum.

Lurc. Quo aufugiemus?

Latr. Quo ſurrepemus? Oſtium Fani ne video.

Lurc. Prorſus cœcutio.

Currunt circa theatrum, reperto tandem oſtio, dementiâ correpti, Exeunt.

Act. 5. Scena 9.

Cor. HA-ha-ha, quàm meritò vos furor inuaſit?

O impii ſepulturæ violatores! nemo, niſi rationis expers eſſet, mortuorum oſſa erueret, eorum requiem infeſtaret: ſed priſtinam reſumentes *formam*, non *vitam*; aliis incumbendum eſt negotiis. Quoſdam vulpinos invenimus catulos; alios etiam eruemus. Iſtud ſubivimus & ſuperavimus periculum; cum quo eò conſeruimus, quo Noſtrorum fidem expertam habeamus. Parum dubito, quin reſurgentis *Cornelii*, fama per totam urbem celerrimè ſe diffundet: nec tardiorem me comperiet ad emeritam ultionem capeſſendam.—Sed ſtrepitum audio; liquido animo domum redeo: parum expectandum eſt Ordinis in eâ familiâ, quæ Hero deſeritur ſuo.

Act. 5. Scena 10.

POCADILLA, TUBERCULA, CIATICA, *quas furioſo more ſectantur* LATRUNCULUS & LURCANIO.

Poc. O Inſani! inſani! quò fugiemus *Tubercula?*

Ciat. Tanto perculſa ſum metu, ut *nomen* ferè amiſi meum.

Tub. O *Ciatica, Ciatica,* quis te tam præpede curſu putaret!

Lat. & *Lurc.* Spectrum, Spectrum, Spectrum.

Lurc. Siſtite Nymphæ; nos Principes ſumus Faunorum.

Latr. Ego Sirenum.

Lurc. Quis tu?

Latr. Ego Muſca.

Lurc. Et ego Muſcipula.

Poc. Utinam nos mures talem Muſcipulam evitemus.

Cant.

Cant.

PEr abyſſos & lacunos,
Per Averni littora Stygis,
Petimus, ſtetimus, ſpatiati ſumus,
Sine Principis annulo Gygi°.
Voce ſonant, pellices, pellices,
Laſcivo more latentes,
Et baſiis mulcemur ab his ;
Fœm. *Latrones inſipientes.*
Lat. & Lurc. *Sub opacâ nocte Trionum*
Aurigæ dicimur apti,
Sed amor & odor, lucrandi, labor,
Tenebræ, queis lumine capti.
Voce ſonant, Lemures, Lemures,
Tremebundo more paventes,
Et Furiis cruciamur ab his.
Fœm. *Latrones inſipientes.*

Latr. Vidiſtiſne eum ?

Poc. Quem tandem ?

Latr. Ingentem Elephantem Mure longè grandiorem.

Lurc. Euge ! *Phœnicem* ab Arabiæ extremis finibus evolantem ad Heſperides.

Latrunculus & Lurcanio *ſuſtollunt humeris* Pocadillam & Tuberculam.

Poc. O me ! quò me rapies ?

Lat.

Lat. ——Sic me portavit *Achates.*
Tub. Quo me vehes *Lurcanio?*
Lurc. ——Stygias ultra quærimus undas.

Lat. & Lurc. *ſubvectis fœminis eorum humeris;*
Exeunt.

Ciat. Me liberam reſtituit *Ciatica*; claudicantem reſpuunt. Dementiores certè homines nunquam vidi. Extra dubium, horridum aliquid ſuſpexerunt; aliter nunquam vultu tam terribili, diſtorta facie, elata crine prodirent. Hoc autem præter ſpem evenit: nos enim aurum expectavimus, nullum tam horridum tetrumque aſpectum.——Eheu! Quàm effero curſu denuò huc properant!

Lat & Lurc. *Fœminas ſuper humeros portantes, canorâ voce clamant.*

Emitte mattam pro Cubili
Stramine textam perexili.
Tenues Carbones, tenues Carbones,
Emite Saccum Nebulones.

Ciat. Surrepam, ni peream: Sin verò ſiſterem hîc diutius, me peſſundarent, vel Carbonum Saccum facerent.
Lurc. Quo me fugies *Danaë?*
Ciat. *Danaë* ſi ſapiat, te fugiet.

Exit Ciat.

Sim-

Simplicius & Balbutius.

Lac.& *Lurc.* Spectra—Spectra—Spectra.

Exeunt.

Act. 5. *Scæna* 11.

Simp. O Quam difficile requieſcunt divitum animæ! An pro certo relatum eſt reſurrexiſſe *Cornelium?*

Balb. Ita pro-fecto ai-unt.

Simp. Certè tunc omnes uno reſurgemus die.

De omnibus mortuis, qui in hâc Parochiali cellâ per quadraginta annos fuerunt ſepulti, pleroſque memini: & nunquam vidi aliquem eorum altiore mole terræ & pulveris obtectum, nec firmiore Ciſtâ repoſitum.

Balb. Me-hercle, vix un-quam rem ma-gis admi-rabi-lem au-divi.

Act.

Act. 5. *Scæna* 12.

OPILIO & PERE-GRINUS.

Opil. SEd narra mihi, obſecro; num illud corpus defuncti quondam *Cornelii* ſolidum eſt & ſucci plenum?

Per. Corpus verè ſolidum.

Opil. Tunc multo melius eſt ſurgens quàm moriens. Certè mira magis quàm credenda canis. Eum ſemper capiam pro Spectro, & corpus ejus pro fanatico. Ego hæres, & ille ſemel fuit mortuus; nec multum curo ſi millies reſurgeret. Mortuus, inquam, erat in lege, & ego per legẽ poſſeſſurus eram quæ moriens reliquerat. Contra mortuos igitur ædificare inſtitui; Si centum Spectra, Phantaſmata, Larvæ, Lemures, & ſpirantia Pneumata, portas aggrederentur noſtras, *Cerberum* habemus, *Grinchamum* nempe, qui ferrea catenâ ſuâ perterritos eos propellet.

Act. 5. *Scæna* 13.

Intrat GRINCHAMUS.

Grin. HEu mihi, omniũ miſerorũ miſerrimo: actũ eſt de me, fortuna, vita, fama, familia;

milia; naufragantur omnia-Sed dolet me maximè de Reverentiâ veſtrâ, mi *Opilio*. Tu qui ſemel conſtitutus fuiſti Hæres, amiſſâ hæreditate, dignè mœreas.

Opil. Quid amiſſurus ſum? num me ſtolidum putas? Te Judicem atteſtor. Aſcende Scabellum, & officium Judicis præſta.

Grin. Libentiſſimè. [*Aſcendit Scabellum.*]

Opil. Et voce & vultu paratum te præbe; Sic enim Gravitatem veſtram laceſſimus.

Grin. Perge; quod noſtrum eſt, ad pilum præſtituri ſumus.

Opil. Domine Judex, nobis devoluta eſt hæreditas per mortem *Cornelii*; quo mortuo, Magicis artibus aliiſque præſtigiis, effingunt eundem *Cornelium* reſurrexiſſe.

Grin. Si reſurrexit, juſtum eſt, quod ad hæreditatem redeat.

Opil. Abſit, Domine Judex, abſit; Si omnes, quot ab initio mundi, mortem obierunt, denuò reſurgerent, & recuperandi ſua, poteſtatem habuerint, quot parentes flebiles filios, quot Conjuges lachrymabiles uxores, quot uxores miſerabiles Conjuges invenirent? imò, ſi omnes ſurgerent, quot voluerint, vacua Cœmeteria, mundum verò refertiſſimum haberemus.

Per. Quàm enixè cauſam ſuam agit?

Grin. Verum dicis; parum tamen proficiunt, quæ in defenſionem protuliſti tuam. Audi Clientulè, nonne tu aliquando in propriâ perſonâ tuâ *non reſidens* es?

Opil. Quid ni?

Grin. At quamdiu es *non reſidens*, Parochiæ

tuæ

tuæ es *moriens*, ad gregem verò quando redis, *reſurgis.*

Opil. Reverende Domine Judex, iſta Similitudo tua non quatuor currit pedibus. Ego, quando in Parochiâ meâ *non reſideo*, in aliquo tamen loco *reſpiro.*

Grin. Et ille forſitan in Sepulchro.

Per. O argute *Grinchame!* quàm vera auſpicatur?

Opil. Infœlix forſitan, ſi me hæreditatis meæ privaret: —Sed plures laceſſent te Clientes. a [*Intrant* Prunella, Priſcianus.]

Grin. Deſcendam certè; Ne *Hercules* contra duos.

Opil. Nequaquam; audiat Reverentia veſtra juſtiſſimam *Prunellæ* noſtræ querelam.

Pru. Quid illi *Prunella?*

Opil. Eloquere: cum conſtituimus in Judicem, quò paratiores ſimus, quando agetur cauſa coram Judice.

Pru. Domine Judex, amiſi omnia, amiſi omnia.

Grin. Bona Mulier, quæ omnia?

Pru. Annulos, gemmulas, fibulas, fimbrias, aureas moles, theſauros vix notos oculo Solis. Si ſuperſtitit *Cornelius*, perit *Prunella*, perit Familia, pereunt omnia.

Opil. O me! & unà cum eâ perit *Opilio.*

Grin. Audi Domina *Prunella*; num amittere poteris, quod nunquam habueris?

Pru. Quid inde probas, iniquiſſime Judex? nonne eum habuimus mortuum & ſepultum? nonne intravimus ædes, tibi tradidimus claves, toti Familiæ præfuimus?

Grin.

Grin. Hoc conceſſum habes; interim nil amiſiſti præter ſpem.

Pru. Toto Cœlo erras; ſine ſpe delicatulum frangeretur Corculum. Quædam tamen amiſi, quæ ſpei proximè chara mihi erant.

Grin. Quæ tandem, Domina *Prunella*?

Pru. Interrogas, Domine Judex? Eheu! ubinam togæ Phrygiis operibus intextæ? Currus eborati? phaleratæ Cellæ? criſpantes capilli? delicatulæ ancillæ? lepiduli noctis ſocii?

Grin. In fimum & fumum vertuntur omnia.

Priſ. Audi, Domine Judex;—paulo majora canamus.

Lugete ô *Virga* & *Ferula*! inamœna Frontiſterii mœnia! mala omnia! mala omnia!

Grin. Queruli ſemper ſunt miſeri; unde iſta?

Priſ. Unde petis? auſcultare & mirare; mallem abavos, atavos omneſque claris regibus editos reſurrexiſſe, quàm unum *Cornelium*.

Pru. Senſi certè *Cornelium* ſæpius reſurrexiſſe in terris, de terris autem nunquam reſurrecturum crederem.

Opil. Tacete omnes; ſi *Cornelius* redierit ad *vitam*; nunquam reſurget ad *primam Subſtantiam*.

Grin. Si vivat, æquum eſt quod ſua poſſideat.

Opil. Sed mortuus fuit.

Grin. Hoc fateor, & vivens mortuus.

Opil. Et ad illa rediet, quæ mors ei abſtulit?

Grin. Fateor; non meruit, rediet tamen.

Priſ. Per fas nefaſne?

Grin. Per omnes vias & modos: neceſſe eſt quod teneat reſurgens, quicquid vivens prius te-

tenuerit. Hanc ſententiam ratione & communi jure datam, latam & ratam omnia præcedentia tempora acceperunt.

Pru. O lex iniquiſſima! Sententia nefaria! Nequaquam obtemperabimus; Probaturi ſumus Teſtamentum *Cornelii.*

Grim. Quid inde?

Opil. Quo probato, Ego, *Prunella* cum tota propagine noſtra, efficiemur Hæredes, Executores & adminiſtratores Omnium eorum quæ poſſederit *Cornelius.*

Grim. Hoc mehercle, Reverentia noſtra ex animo optaret, ſi percommodè fieri poterit; leges verò noſtræ aliò ſe dirigunt. Ingenuè vobis exceptionem in medium proferam: Vos aſſeritis *Cornelium* eſſe mortuum, in tali loco ſepultum, ingenti lapidum mole, pulveris ſtrue obrutum; mille oculos illius funeris fuiſſe teſtes. Quò iſta omnia? reſponſionem in promptu habet: Agite! evolvite lapides, diſquirite Ciſtam, circumſpicite Buſtum: Si *Cornelium* ibi repoſitum inveneritis, *Cornelii* opes accipite; ſin reviviſcat, quid objici poterit, quò ſua minus retineat?

Simp. Certè argutus eſt valde homo & verſatilis.

Opil. Fateor, difficile eſſe Diabolum invenire mortuum in lamâ: Sin verò ad nos, ut mendax iſta fama percrebuit, inexpectatò redierit, non in dubium vocandum eſt, quin ipſe Cacodæmon *Cornelii* aſſumpſit corpus, quo phanatica ejus ſpecie nos eludat: Sed Dæmoni ne credas, ne mortuo quidem. Pro meipſo loquar, & melleola *Prunella* mea, quod hiſce

fabulis

fabulis nunquam credemus: imò, ſi mille *Cornelii* ſe reſurrexiſſe dicerent, & prædia noſtra ſibi vendicarent, ex inopiâ denuò perirent, priuſquam minimam terræ glebulam à nobis acciperent.

Grin. Hoc non omninò improbare videor; Pergite! Si appareat, nolite ei credere; neque ut *Cornelio*, hoſpitium præbere. Spectra in hæreditates eſſe admiſſa, inaudita ſunt ſpectacula. Viribus noſtris, (ſi quid iis nitendum eſt) imponite juſſa. Euro velociores erimus, quo veſtris deſerviamus commodis.

Act. 5. Scena 14.
Intrat CORNELIUS *cum Lictoribus.*

Corn. Silete omnes; & audite *Cornelium.*

Om. Apage! unde *Cornelius*?

Cor. Ab inferis, quò omnes redituri ſunt, qui aliena nimis avidè appetunt.

Opil. Redi in pace iterum ad inferos. Dic amodò, tune *Cornelius*?

Cor. Multò certiùs quàm tu *Cornelii* hæres. —Deſcende Furcifer; quis te tam altè erexerit? quàm brevi in Patibulum cõſcenſurus es.

Grin. Eheu! Quem laqueo *Parcæ* deſtinârunt, *aquis*, incolumem reſtituunt.—ô Domine, quid fecit *Grinchamus* tuus, ut talem promereretur ſententiam?

Cor.

Cor. Erubeſce Perfide, quid non emeritus es, ſi *Perillum* haberemus ad pœnas nequitiæ tuæ quadrantes excogitandas?

Priſ. Erubeſce imò tu *Corneli*; qui phanatico hoc corpore tuo, larvali ſpecie eluſos nos haberes. Non Spectris competit in publicum prodire. Imò, ni malè memini, prohibitum eſt Statutis noſtris, alicui larvales Facies vel Species aſſumere, in terrorem populi.

Cor. Cave ne caput Statuti frangas *Priſciane*; *Cornelium* Larvam non invenies.

Opil. O Spectrum fricatæ Frontis! nonne te mortuum & ſepultum vidimus?

Cor. Sepultum fateor, mortuum inficior.

Priſ. O vafrum caput! contra naturæ morem, legis conſuetudinem, nobiſcum agis; num probabile eſt terræ te mandari, priuſquam debita ſolveris naturæ?

Cor. Vobis forſitan improbabile appareat; nobis verò, nec ſine periculo, evenerit. Te atteſtor, *Peregrine*, cujus arte vires reſumpſi meas, quod lethalem eum ſoporem nunquam adhuc inivi.

Per. Ingenuè atteſtamur.

Cor. Noſtrum unicè fuit, tui, ô *Grincbame*, aliorumque Familiæ meæ fidelitatem habere expertam; avaritiam etiam veſtram, *Opilio*, *Prunella*, *Priſciane*, detectam facere & eluſam.

Grin. Si hoc verum, in malam crucem tendimus omnes.

Cor. Et quo Ordine recenſeam omnia, iſti primùm Sacrilegii, *Lurcanio* ſcilicet & *Latrunculus*, debitas pœnas luunt. Sepulturam violàrunt

runt ſacram, noſtrum recluſerunt Sepulchrum; funebrem eruerunt Ciſtam: expectantes quod non invenerunt, nempè theſaurum; ſufferentes quod promeruerunt, nempe dementiam. Hi enim communi voto & voce, ne eorum rabies, quæ tātoperè exæviit, alios in periculum vitæ duceret, FATUANO ſunt traditi.

Priſ. O quanta nos omnes dementia cepit?

Cor. Illæ etiam Pellices, quæ facti conſciæ erant Conſules, *Genuenſis* Senatus Decreto, publico Sigillo ſignato, PLAGIARIO ſunt mandatæ. Nec leviorem tuipſe ſubiturus es Cenſuram, *Grinchame*; te enim conſortem & conſulem earum faſſæ ſunt Pellices.

Grin. Profectò levidenſes iſtæ mulierculæ, Cribra ſunt, vaſa rimarum plena, nil reticere valent: earum garrulitate, flagello ſum cenſendus: quamdiu ibi manſurus ſum?

Cor. Donec Lupus mutavit crines: *Grinchamus* mores.

Grin. Vereor, magnoperè vereor, ne iſta nobis pro termino vitæ infligatur pœna.

Cor. Agite Lictores! præſtate officium.

Lict. Paratiſſimè.

Priſ. Heus *Grinchame!* redde mihi florenos.

Pru. Mihi armillam.

Grin. Reddentur omnia, modò *Grinchami* accipietis flagra.

Exeunt Lictores *cum* Grinchamo.

Cor. Quod ad vos attinet, quorum improvida fuit cura, alienos arare agros, veſtros negligere; audite & erubeſcite.

Priſ.

Priſ. *Fac tua res agitur*———.

Cor. Multum minus Natura peteret, ſi penſaret quam parum ſibi competeret. Proprio incumbendum eſt æri, cujus ope ſatius eſt uti, quàm aliorum fortunis niti.

Opil. Auſcultare pauliſper; Quis mihi ſumptum redditurus eſt, quem perſolvi in Funera tua inauſpicatiſſima celebrando? Magnam mehercle partem *Glebæ* meæ expendi circa negotium illud infeſtiſſimum.

Cor. Solvat Eccleſia; ne micam retribuam.

Priſ. Nec mihi pro Curru Civili?

Pru. Nec mihi pro toga Curiali, armillis, gemmis, torquibus?

Cor. Diſcedite; I tu ad Virgam & Ferulam; tu ad pauperculam Vicariam; tu ad cautam, ſi minùs caſtam conditionem: ineptias veſtras irridere juvat. Reſiduum temporis fructuosè expendere decrevit *Cornelius*; multum diſtribuendo æris literarũ Ærariis, publicis Gymnaſiis, quicquid ex obſcœnis aliorum elicuit Sentinis.

Peregrin. Emeritas noxæ pœnas, ſi mali ferant.

In terras boni latiùs proficient.

Finis Actus quinti.

Epilogus.

AUdiſtis Cornelium; *audiſtis ægrè tamen;*
Fractus dolore vocem compreſſit ſuam.
Languentem Dolio, comperto ſine dolo
Spectaſtis, functum terris & conditum.
Surgentem tandem pedibus ſed debilem
Veſtris erigite, Cãdidi, *manibus gravẽ;*
Ut Famulis licet exoſus fuit ſuis,
Gratus appareat Spectantium vocibus:
Sin minus placeat, ad priſcum Dolium redit,
Illinc nec veniet donec his placuerit.

“ Corneliani *ſit amoris*
“ *Hos corrigere errores.*

Errata.

FOl. 2. lin. 1. pro properas, legè properat. F. 18 l. 5. p. in, l. ni. F. 25. l. 12. dele punctum. Ibid. l. 31. p. furatam, l. fucatam. F. 37. l. ult. Neque, l. Meque. F. 52. l. 13. p. iſtum, l. iſtud. F. 86. l. 32. p. mentientem, l. mentientis. F. 93. l. 6. p. arduum, l. arduam. F. 95. l. 32. p. in, l. ni.

“ *Preli, praliì, vitæ, voti,*
“ *Vos* Errores *valetote.*